AMICUM FOEDUS

RATIONIS CUM EXPERIENTIA

SEU

PHILOSOPHIA

NOVIS CURIS

EDITA

AUCTORE

JOANNE IMRE.

Adiunct. Cubicul. Profess. Log. et Metaph.

PARS SECUNDA

COMPLECTENS

METAPHYSICAM PURAM.

Non gloriosa, sed vera quaerimus

Plinius.

PESTINI,
TYPIS TRATTNER-KÁROLYIANIS.
1831.

Metaphysicae species duplex est distinguenda. — Altera ambitiosa, quae cuncta mysteria penetrare cupit: modestior altera, quae disquisitiones suas humanae mentis imbecillitati contemperat, ac parum anxia de iis, quae comprehendi nequeunt, novit se circa cognoscibilia intra definitos terminos continere.

Condillac.

Introductio in Metaphysicam.

§. I.

Origo, et Notio etymologica Metaphysicae.

Inter complura illa argumenti *logici*, *ethici*, et *physici* opera, quae Aristoteles scripsisse perhibetur, quaeve expugnatis per Syllam Dictatorem Athenis Romam translata, et hic opera Andronici Rhodii, et Tyrannii Grammatici revisa, correcta, atque in ordinem redacta sunt, deprehenduntur libri quidam post Physicam pertractati, in quibus doctrina de Deo, spiritibus, ac de omni eo, quod existit, vel existere potest, in genere exponitur. — Serior aetas de nomine horum librorum sollicita, voces has Graecas: μετα τα φυσικα (βιβλια) iis praefixit, vel ideo, quia hac denominatione libros post Physicam tractatos indicare volebat: vel, ut ostenderet in iis Cognitiones sensus transcendentes contineri; vox enim μετα post vel *trans*, Φυσις vero *naturam* Graecis significat. Ex his dein Graecis vocibus per contractionem enatum est nomen *Metaphysicae.* Proinde

Metaphysica *etymologice* spectata denotat illos libros Aristotelis, qui post Physicam pertractati, cognitiones eorum, quae sensus transcendunt, (sub experientiam non cadunt) continent. Ast quia etymologica haec notio, insuper quod dubia, vagaque sit, non explicat sufficienter Methaphysicae indolem, neque ejusdem objectum, et sphaeram adaequate determinat, ideo aliam, hancque realem addimus definitionem.

§. II.

Notio realis Metaphysicae.

Metaphysica est *systema notionum, et principiorum universalium, quibus ceu fundamentis omnium cognitionum humanarum veritas materialis ultimo innititur.* Metaphysicae enim munus est docere, quid, et quantum facultas hominis cognoscitiva vere attingere possit; in quem finem notiones quaepiam, principiaque universalia partim a natura animae cognoscentis, partim ab objectis, circa quae illa versatur, desumenda, sunt necessaria, ope quorum tamquam totidem legum universalium, et necessariarum innotescat: utrum repraesentationes nostrae non tantum legibus cogitandi, sed etiam objectis suis conformes, id est, *materialiter verae* sint.

A Metaphysica igitur, ut tali, hypotheses quaevis, et opiniones, omniaque illa, quae aut experientiae soli, et auctoritati superstruuntur, aut plene certa non sunt, longe abesse debent; quod tamen non ita intelligendum est, quasi Metaphysica experientiam, aliosque cognitionis humanae fontes contemneret, imo ab his ceu origine abstrahit multa principia, quae aliis scientiis

tamquam fundamenta praestituit, quamvis deinde haec universalitatem et necessitatem suam non ex incompleta sensuum inductione, sed ex rationis indubitatis principiis nanciscantur.

§. III.

Metaphysica ab aliis Scientiis discernitur.

E modo data notione Metaphysicae satis patet, ipsam essentialiter distingui a quibusvis aliis scientiis, singulariter tamen distinguitur: —

a) a *Logica;* haec quippe praecipuas operationes intellectus cum suis legibus proponendo, abstrahit ab omni obiecto, solamque formam, seu modum illum expendit, quo multiplices repraesentationes nostrae in conceptus, judicia, ratiociniaque connecti, atque in systema scientificum ordinari possint, unde etiam *Philosophia formalis*, *vel scientia veritatis formalis* dicitur: Metaphysica autem repraesentationes nostras ut totidem media cognitionis rerum assumens inquirit, utrum, et in quantum ipsis realitas conveniat; unde etiam *Philosophia materialis*, *scientia veritatis materialis*, aut *realitatis cognitionum humanarum*, *Gnoseologia*, vel per eminentiam *Scientia* appellari solet.

b) a *Physica*, et *cognatis scientiis;* istae enim agunt de cognitione rerum naturalium, in quantum hae objecta experientiae sunt: Metaphysica vero non tantum notiones fundamentales inquirit omnis experientiae, ut harum realitatem secundum strictissima principia cognitionis humanae evidentem reddat; sed etiam tales repraesen-

tationes eruit ex ultimis principiis, ope quarum anima humana se supra experientiam elevare, et ipsam omnis existentiae originem detegere, explicareque valet, ideo veritates ipsius merito nuncupantur *prima fundamenta materialia omnis cognitionis humanae, et quarumvis scientiarum.*

§. IV.
Obiectum Metaphysicae.

Cum Metaphysica e notione sua illius scientia esse debeat, quod nos de rebus quibusvis universim cum veritate cognoscimus; imprimis naturam Cognitionis humanae, elementa originem, criteriaque examinare, tum notiones quaspiam, et principia universalissima eruere, atque haec ad ipsa objecta Cognitionis applicare debet; sic namque tantum satisfiet plene quaestioni illi primae omnis Philosophiae: *quid potest homo universim scire?*

§. V.
Divisio Metaphysicae.

Metaphysica dividitur in *Puram* et *Applicatam.* — Illa prima elementa cognitionis humanae, ejusdem originem, principia absolute ultima, et criteria, nec non notiones ad objecta quaevis applicabiles evolvit, vocaturque etiam *Metaphysica stricte sumta;* haec vero notiones illas, principiaque universalissima applicat ad summa genera obiectorum, seu sic dicta *Entia*

in sensu eminente, qualia sunt: *Homo*, *Mundus*, *Deus*.

Metaphysica *pura* subdividitur in *Archologiam*, et *Ontologiam*. — *Archologia*, quae a Graecis vocibus αρχη (*principium*) et λογος *sermo*, *doctrina*) etymologice doctrinam de principiis significat, nobis est illa scientia, quae naturam, originem, principia et criteria cognitionis humanae universim examinat, sicque quibusvis aliis scientiis fundamenta suppeditat; ideo etiam *Doctrina fundamentalis* audit. *Ontologia* vero, quae a Graecis vocibus ὄν (*ens*) et λογος doctrinam de ente denotat, est illa scientia, quae notiones, characteres, praedicataque omnium eorum, quae existunt, vel existere possunt, universalissima proponit, atque ex his veritates ubique applicabiles deducit.

Metaphysica *applicata* abit in *Cosmologiam*, *Anthropologiam*, et *Theologiam*. *Cosmologia* κόσμος (*mundus*) et λόγος sic dicta, est systema Cognitionum rationalium de mundo, ideo vocatur etiam *Physica rationalis*, aut *Philosophia naturae*. *Anthropologia* ab ἄνθρωπος (*homo*) et λόγος, est systema cognitionum rationalium de homine. *Theologia* a Θεος (*Deus*) et λογος, est systema cognitionum rationalium de Deo.

Cosmologia rursus dividitur in *Generalem* et *Specialem*. Illa mundum considerat, ut *totum absolutum*: haec vero in praecipuis suis partibus, — Quia vero partes mundi ad duo summa genera entium *materialium* nempe, et *immaterialium* revocantur; Cosmologia specialis vel est *Somatologia* a σωμα (*Corpus*) et λογος, vel *Pneumatologia* a πνευμα (*Spiritus*) et λογος sic appellata. — *Somatologia* est systema cognitionum rationalium de partibus mundi materialibus, seu corporibus: *Pneumatologia* vero est

systema cognitionum rationalium de partibus mundi immaterialibus, seu spiritibus.

Anthropologia aeque subdividitur in ***Somatologiam***, et ***Psychologiam***. — ***Somatologia***, qua pars Antropologiae est systema Cognitionum rationalium de corpore humano: ***Psychologia*** autem, a ψυχη (***anima***) et λογος, sic dicta, est systema cognitionum rationalium de anima humana. Ast quia illa, quae de Corpore humano sola ratione duce cognoscibilia sunt, in ***Somatologia Cosmologica*** habent suum locum; ***Antropologia metaphysica*** sola ***Psychologia*** absolvitur. — Huic tandem appendicis instar subnectitur doctrina de animabus brutorum, quae a vocibus ζωον (***animal***) et λογος ***Zoologia*** vel etiam ***Psychologia analogica*** solet vocari.

Scholion.

a) De *mundo*, *homine*, et *Deo* aliae quoque scientiae, uti, *Physica*, *Phisiologia* et *Theologia revelata* agunt, sed experientiae vel auctoritati soli innixae: Metaphysica e contra rationales tantum cognitiones de iisdem obiectis suppeditat, etsi non e *conceptibus puris*, penitus independenter ab experientia (ut hodierni *Transcendentalistae* volunt) ipsa proinde nec *mere empirica*, nec *transcendentalis*, sed *rationalis* scientia est.

b) Anthropologia, ut pars Metaphysicae, solet appellari *theoretica* ideo, quia tantum, quid homo vi naturae suae actu sit, edocet, non autem quid esse possit, ac debeat; istud enim jam ad partem Philosophiae practicam spectat, et *Anthropalogiam practicam* constituit.

c) Theologiam metaphysicam cum antiqnis vocamus etiam *naturalem*, ut distinguamus a *Theologia transcendentali* recentiorum Germanorum; nos enim ejus objectum per solam rationem e conceptibus puris, id est, ab experientia penitus independentibus tanquam *Ens originarium*, et *absolutum* non determinamus; verum illud e conceptibus inprimis a natura animae nostrae intellectu, et voluntate praeditae petitis, ut *Ens perfectissimum* eruimus.

§. VI.
Utilitas Metaphysicae.

Quamvis inter scientias principatus non detur, sed omnes sororias sibi manus jungant, totumque quoddam harmonicum constituant; attamen Metaphysica summi momenti censenda est. — Nam a) est fundamentum materiale omnium scientiarum; hae enim omnes animum principiis et notionibus universalibus *Entis*, *substantiae*, *Corporis*, *Spiritus*, *Libertatis*, *Dei* etc. imbutum praerequirunt, quae Metaphysica indagat, evolvit, et firmat ita, ut recte possit dici: quod ubi desinit Medicus, Jurista, Politicus et Theologus, ibi incipiat Physicus, Physiologus, et Ethicus, ubi autem hi desinunt, ibi incipiant Logicus, et Metaphysicus. b) Suppeditat cognitiones, e quibus omnis reliqua humana cognitio robur, et nexum accipit; principia enim universalissima omnis nostrae meditationis investigat, e quibus intellectus humanus egredi, et ad quae iterum regredi debet, *possibile*, et *impossibile*, *reale*, et *ideale necessarium*, et *contingens* etc. determinat, sicque una limites intellectus nostri describit. c) Detegit fontem ultimum con-

ceptuum quorumvis, et judiciorum, ducitque intellectum communem ad cognoscendas veritates rationis subliniores capacitatem sensuum transcendentes. d) Suis cultoribus largitur veritates pretiosissimas; quid enim potest homini pretiosius esse, quam noscere se ipsum, dignitatemque naturae suae, noscere mundum, leges, destinationemque hujus, noscere denique rerum omnium Creatorem, Conservatorem, sapientissimum Gubernatorem, et providum Patrem Deum? e) Denique suis speculationibus abstractissimis acuit intellectum nostrum, aptatque ad vincendas qualescunque in cognoscendo difficultates, occurrit inanibus disputationibus, et convictionem, ubi possibilis est, procurat, et promovet.

§. VII.
Dotes Metaphysici.

Ut Metaphysica emolumenta modo recensita praestet, caute nimis est illius studium tractandum; minus enim sobrius, et circumspectus Metaphysicae cultor facillime aberrabit a recto tramite. Futurus proinde Metaphysicus a) caveat inutiles, et vacuas speculationes, id est, non sectetur tales cognitiones, quae supra, vel extra horizontem intellectus humani sunt positae; b) non sibi persuadeat, rationem humanam omnia comprehendere posse, donec ipsa sensualitati jungitur, non spernat experientiam, fidam hanc hominis magistram; sicut enim immoderata abstractio facile chimaeras parit: ita ex adverso experientia saepius jam intellectum aberrantem ad rectam viam revocavit. c) Vitet lusus verborum, nimiasque quorumdam antiquorum, et recentio-

rum subtilitates; Metaphysicae enim officium est: intellectum illustrare, rationem excolere, hominem in cognoscendo supra sensus elevare, et veritates summi momenti in usu rationis theoretico, et practico docere.

§. VIII.

Vindiciae Metaphysicae.

Etsi tanta sit dignitas, et utilitas Metaphysicae, dummodo ejus studium caute tractetur; sunt tamen quidam, qui scientiam hanc nobilissimam diris quibusvis proscindere non erubescentes, ipsam penitus exulare vellent. — Alii vanissimis eam subtilitatibus refertam, inanium disputationum, sophisticationum, et rixarum nidum, officinamque esse clamitant, ita ut quidquid futile, inane, aut erroneum in ratiociniis deprehendunt, hoc totum Metaphysicae attribuant, illud occinentes: „*haec ad metaphysicationes pertinent.*" — Periculosum esse studium Metaphysicae quaeruntur alii ex eo, quod ipsius principiis perditissimi quique homines aevi recentioris ad subvertendum coeleste munus Religionis revelatae abutantur.

His quidem omnibus satis esset dicere: *artem non habere osorem, nisi ignorantem*; ne tamen aliquid dissimulemus, respondemus singulis. Primi generis adversariorum exceptiones antiquorum Scholasticorum, aut quorumdam recentiorum Metaphysicas ferire possunt, non nostram; quae a pulveribus scholasticis, inanibus subtilitatibus, et peregrinis materiis expurgata tantum ab illis distat, quantum Astronomia ab Astrologia. Quod alii de Religionis revelatae per Metaphysi-

cam discrimine lamentantur, tantum abest, ut nos ab ejusdem studio arceat, ut potius acrioribus stimulis ad idem incitet; quod enim malignorum quorumdam calliditate, aut stupidorum ignorantia efficitur, non est tribuendum Metaphysicae, et rectus usus ab abusu semper distinguendus, illudque sapientissimum Baconis Verulamii dictum: ***Philosophia obiter libata a Deo abducit, penitus hausta reducit ad Eundem***, hic imprimis cogitandum est. Deinde nonne necessarium est, ut iisdem, quibus in nos utuntur impii Religionis hostes, armis retundantur? jam autem hi ad rationis solius tribunal appellant; ex ratione igitur, hujusque principiis, quae Metaphysica evolvit, impugnandi, ac refutandi sunt.

Hinc est: quod hodie jam, non tantum alii calumniatores agnoscant Metaphysicae summam utilitatem; sed et ipsi Galli, qui eam temporibus Reipublicae suae tamquam statui, libertatique affectatae perniciosam e scholis eliminarunt, nunc sub titulo ***Ideologiae*** pristinae dignitati restituerint; quasi de titulo, non autem de re foret disputatio! —

§. IX.

Possibilitas Metaphysicae.

Praeter nunc commemoratos hostes, longe acriores, subtilioresque nacta est Metaphysica in ***Philosophis Kantianis***. — Hi praeeunte Kantio, asserunt: quod ratio humana in Metaphysica objectorum sensus transcendentium cognitionem sibi arrogans, se ipsam fallat; quia potentiae suae ignara, ***ideas*** suas de ***Anima***, ***Mundo***, et ***Deo*** omni objecto vacuas, et suarum functionum,

nempe syllogismi categorici, hypothetici, et disjunctivi meras formas, solumque eo fine, ut *tendentiae suae in absolutum* satisfiat, efformatas, pro entibus vere existentibus habet. Quare Metaphysica veri nominis non est ipsis illorum quoque scientia, quae sensus transcendunt, seu, quae *Entia absoluta* (ὀντως ὀντα) sunt, sed tantum istorum, quae in Cognitione objectorum sub sensus cadentium sunt a priori, ideo appellant ipsam *Metaphysicam naturae:* Metaphysicam autem illam, quae de *Ente* in genere, de *Anima humana*, qua *Subjecto*, de *Mundo*, ut *Toto*, et de *Deo*, qua *Causa absoluta* in specie cognitiones rationales pertractat, contendunt esse impossibilem ideo, quia quid, et qua ratione mens humana cognoscat, non ab objectis, verum a cognoscitivae facultatis natura, et legibus pendere volunt; quae tantum ad objecta experientiae, et ad haec etiam ipsa eatenus sunt applicabiles, quatenus sub sensus nostros cadunt (*Phaenomena*) non antem prout in se sunt absolute (*Noumena*).

Hinc est: quod in hodiernis compendiis metaphysicis ad ductum Kantii elaboratis sola *Metaphysica naturae* compareat; locum vero Ontologiae, Cosmologiae, Psychologiae et Theologiae *Aesthetica*, et *Logica transcendentalis* occupent. Per *Aestheticam transcendentalem* intelligunt doctrinam *Theoriae sensualitatis*, seu illam, quae *Intuitus puros Spatii* et *Temporis*, tamquam totidem leges et formas originarias facultatis sentiendi exponit; *Logicam* vero *transcendentalem* vocant illam scientiam, quae *Theoriam intellectus*, ceu facultatis cognoscendi superioris, id est leges cognoscendi, seu sic dictas *Categorias*, et *Schemata*, tamquam totidem conditiones omnis possibilis cognitionis pertra-

ctat; atque quatenus Intellectum resolvit, id est elementa ad veritatem cujusvis cognitionis necessaria evolvit, dicunt ipsam *Analyticam transcendentalem;* quatenus vero cognitionem objectorum sensus transcendentium crisi subjicit, hujusque impossibilitatem evincere conatur, appellant *Dialecticam transcendentalem.*

Contra hos, priusquam possibilitatem Metaphysicae nostrae probemus, animadvertimus: — quaestionem de *possibilitate Metaphysicae* primo a Kantio motam superstrui *divisioni Judiciorum in analytica*, *et synthetica.* Kantius nempe *Judicia analytica* dicit esse illa, in quibus notio praedicati continetur in notione subiecti; e. g. *corpus est compositum: Judicia* vero *synthetica* vocat, in quibus notio praedicati non continetur in notione subjecti, sed huic aliunde superaddi debet; e. g. *Corpus est rotundum.* — Judicia synthetica subdividit in *Judicia a priori*, et *a posteriori. Judicia synthetica a posteriori* dicit esse illa, in quibus praedicata ex experientia superadduntur subjectis; e. g. *lapis est gravis: synthetica* vero *a priori* sunt illi talia judicia, in quibus praedicata subjectis independenter ab experientia per solam rationem adduntur; e. g. *omnis lapis est gravis;* hinc illorum notam vult esse *particularitatem* et *contingentiam*, horum vero, *universalitatem*, et *necessitatem.*

Possibilitatem Judiciorum analyticorum in genere, et syntheticorum a posteriori in specie extra dubium ponit Kantius: imo etiam Judicia synthetica a priori (qualia vult esse omnia *Judicia metaphysica*) non tantum multa nos reipsa habere de objectis experientiae exemplis adductis probat; verum etiam modum possibilitatis ipsorum ex originaria indole animae cognoscentis, hujusque Intuitibus, et Conceptibus puris explicare

care conatur contra Humium: et sic *Metaphysicae naturae* possibilitatem ultro concedit, quin et principia hujus adornandae suppeditat. Sed quia usum purarum illarum formarum, tamquam totidem legum originariarum cognoscendi ad solius experientiae limites restringit, de objectis experientiam transcendentibus nulla Judicia synthetica a priori, id est cognitiones metaphysicas nos acquirere, et possidere posse asserit. — Sic tandem omnem molem Metaphysicae, qua scientiae objectorum sensus transcendentium, subrutam a se gloriatur, ita, ut non tantum Cosmologia, Psychologia, et Theologia, qua partes Metaphysicae impossibiles sint; verum etiam Ontologia, in quantum haec praedicata universalissima omnium rerum, etiam prout in se sunt, seu Noumenorum (de quibus nihil sciri potest) proponit, e sphoera Metaphysicae eliminanda sit, cum solum de Phaenomenis possint statui propositiones a priori. — His praemissis, Metaphysicae universae possibilitatem sic evincimus: —

1-mo Omnia nostra judicia vel sunt synthetica, sed non a priori, vel a priori quidem, verum non synthetica, sed analytica. *Judicia synthetica sed non a priori* sunt, in quibus praedicata subjectis superadduntur ex experientia propria, vel aliena: e. g. „*aurum solvitur aqua regia*" *Cajus est doctus etc.* Judicia autem a priori, verum non synthetica, sed analytica sunt, quorum praedicatum aut immediate continetur in notione subjecti, aut per hanc proxime determinatur, aut cum ipsa intime connectitur, talia sunt Theoremata mathematica, et praecipue propositiones Metaphysicae, uti hoc tractatus nostri subsequentes probant, in quibus praedicata, quae entibus in genere, animae, mundo, et Deo in specie tribuimus, talia esse, *quae in notione sub-*

jectorum aut immediate continentur, *aut per has proxime determinantur*, *aut cum ipsis intime connectuntur*, serio expendenti patebit; hoc proinde sensu latiore, non illo stricto Kantianorum asserimus praecipua Judicia Metaphysicae nostrae esse analytica a priori. — Cum igitur Kantiani Judiciorum annalyticorum a priori possibilitatem non negent, quaestio eorum de possibilitate Metaphysicae nos non ferit.

2-do Etsi admittamus Judicia synthetica a priori possibilia, taliaque etiam in Metaphysica saltem aliqua (neque enim vel Kantiani praetendunt omnia talia esse debere cf. *Metz Darstellung der Hauptmomente der Kantischen Kritik p.* 40.) contineri; facile est respondere Kantio, jus illud, quo subjectis tribuimus praedicta, quae in notione ipsorum non continentur, fundari in natura facultatis nostrae cognoscitivae, quae suis communibus, irrefragabilibusque principiis tamquam totidem legibus innixa, etiam de objectis sensus transcendentibus cognitiones acquirere potest.

Principia enim communissima, quibus tamquam totidem legibus supremis anima nostra tam in cogitando, quam cognoscendo infallibiliter dirigitur, sunt praecipue ista: *principium contradictionis*, *consensus*, *rationis sufficientis*, *causalitatis*, *existentiae contingentiae*, *ordinis etc.* (quae jam partim in Logica attigimus, partim hic suis locis postea evolvemus): jam vero principia ista sunt applicabilia etiam ad objecta sensus transcendentia;

Objecta namque *rationis theoreticae*, seu facultatis cognoscitivae universim sumtae non tantum sunt res, quae sub sensus, et experientiam cadunt, sed et quae sensus, et experientiam transcendunt. Nam a) *discrimen illud inter Ratio-*

nem theoreticam*, *et practicam*,** cui Kantiani rem suam superstruunt, est mere ideale, et arbitrarium, cum re ipsa ratio sit una simplicissimaque animae nostrae facultas, et non nisi propter duos diversos *usus* jam ***theoretica, jam ***practica*** audiat; igitur ***postulata*** quaecunque ***rationis practicae*** debent fundari in principiis rationis theoreticae; secus enim ratio sibi ipsi contradiceret, sicque ratio esse desineret: sed ratio practica (fatentibus Kantianis) postulat veritates quaspiam, objecta sensus transcendentia attinentes, uti: ***existentiam Dei*, *libertatem*,** et ***immortalitatem animae humanae*;** ergo veritates tales etiam principiis rationis theoreticae conformes, ex hisque cognoscibiles esse debent. b) Homo, ut ***ens sensitivo rationale***, est civis ***mundi*** tam ***sensibilis***, quam ***intelligibilis***, et qua talis ad plene assequendum suum finem opus habet cognitione ***rerum*** tam ***sensibilium***, quam ***insensibilium*;** opus habet cognitione ***rerum sensibilium*;** nisi enim sciret distinguere res extra se positas, de harumque realitate certus esse posset, actum esset de ***vita*** illius ***physica***, posset quippe evenire, ut ***v. g. pro pane lapidem sumat*:** sed non minus indiget etiam cognitione rerum insensibilium; sine hac enim ***vitae*** suae ***moralis*** conservationem, et perfectionem assequi non valens (quod de ***libertate*, *immortalitate animae*,** et ***existentia Dei*** acturi probabimus) evadet ***portentum morale***, et cum sua ratione insaniet./Quemadmodum igitur pro cognoscendis objectis sensibilibus per Auctorem naturae instructus est homo sensibus, per quos suis principiis, et legibus subjectos (rite adhibitos) quidquid de objectis experientiae cognoscit, id non tantum ***subjective***, sed etiam ***objective***, id est a parte rei verum esse debet: ita etiam pro cognoscendis objectis sensus

transcendentibus debuit instrui tali aliqua facultate, qua recte utens nunquam decipiatur; talis autem facultas est ratio, aeque, ut sensus, certis principiis, et legibus originariis subjecta; quibus proinde quidquid congruum est seu in mundo sensibili, seu insensibili, id *subjective* et *objective* verum esse debet. c) ***Fides*** illa ***rationali-moralis***, qua sola, detracta cognitione, asserunt Kantiani nos tenere posse existentiam Dei, libertatem, et immortalitatem animae humanae, superstruitur existentiae Legis moralis: sed existentia, origo, executio Legis moralis intelligi nequit, nisi Deus existens, legis illius auctor, conservator, executorque, et anima nostra libertate praedita, ad immortalitatemque destinata praevie e principiis rationis theoreticae cognoscantur (sicut hoc suis locis, peculiariter in Philosophia morali probaturi sumus); igitur antequam ratio in praxi veritates has magni momenti rationabiliter postulet, prius in theoria de earumdem realitate objectiva e suis illis supremis principiis convicta sit, oportet. — Ergo principia illa, quibus tamquam totidem legibus supremis anima nostra in cognoscendo regitur, etiam ad objecta sensus transcendentia sunt applicabilia, consequenter Metaphysica, et de talibus objectis agens, est possibilis.

3-o Kantiani Philosophi admittunt Judicia synthetica a priori de objectis sub sensus cadentibus: ergo etiam debent admittere de objectis sensus transcendentibus. — Nam a) ratio una et simplex facultas animae juxta eadem sua originaria principia, et leges, juxta quae objecta experientiae cogitat, et cognoscit, cogitare etiam, et cognoscere debet objecta sensus transcendentia, etsi non ***immediate***, et ***intuitive***, ***mediate*** saltem, et ***discursive***; ne enim id commemoremus,

quod secus ratio iterum sibi ipsi contradicens id esse, quod est, desineret: is, qui cum Kantio contrarium demonstrare vellet, deberet limites mundi sensibilis ipse quoque transgredi, quod tamen non conceditur. b) *Quidquid cum materialibus conditionibus experientiae cohaeret, et connexum est, id reipsa existit; et si quid secundum experientiae leges cohaeret, connexumque cum illo est, quod actu perceptum fuit, atque animadversum, tum sane id ipsum existere quasi a priori cognoscitur; etsi ipsummet perceptum sensibus, atque animadversum non fuit, ita e. g. ex attractione ferri, quae percipi sensibus potest, atque animadverti, exstare materiam magneticam novimus, quae ipsa crassis sensibus percipi, ac animadverti nequit.* His fere verbis loquitur Kantius in sua *Crit. rat. purae pag.* 273. Unde sic licet concludere: cum motibus spontaneis, quos animadvertimus in brutis, intime cohaeret principium activum, omnis concretionis materialis expers, cognoscendi quadam et appetendi facultate praeditum: cum actionibus hominum intime cohaeret subjectum longe nobilius, quam sit corpus, aut anima brutorum, anima nempe intellectu, et libera voluntate, aliisque excellentissimis facultatibus, et dispositionibus ornata, quae perpetuam ejusdem durationem, seu immortalitatem exigunt: cum notione, contingentia, ordine, et pulchritudine mundi, nihil arctius cohaeret, quam existentia Creatoris, Entis necessarii, absoluti, sapientissimi, potentissimi etc,: haec autem sunt praecipua Judicia Metaphysicae; igitur Metaphysica est possibilis.

Solutio Objectionum.

1. Licet omnis cognitio humana, etiam *metaphysica* oriatur *cum* experientia, *ex hac* tamen non oriri ipsi Kantiani asserunt; qui igitur possint *experientiae possibilitatem* pro unica conditione *cognoscibilitatis* statuere, non videmus; cum hac ratione nec *Logica pura* ipsorum, nec *Metaphysica naturae*, et *morum* subsisterent, in quibus notiones, demonstrationesque veritatum sub sensus non cadentium occurrere legenti patebit. Si igitur possunt leges cogitandi, et agendi universales, et necessariae statui, quare non possent etiam leges cognoscendi non tantum in mundo sensibili, sed etiam intellectuali applicabiles secundum eadem principia rationis erui? postquam hujus cognitione ita opus est homini, sicut illius. Interim tamen

2. Dum rationi theoreticae cognitionem objectorum sensus transcendentium vindicamus, cognitionem hanc *puram a priori*, id est ab experientia penitus independentem esse non asserimus, imo huic quoque primam occasionem et elementa ab experientia suppeditari in Archologia evincemus, quin tamen ideo *Empiristae* simus. — Neque est cognitio haec *immediata* et *intuitiva*, aut per solam rationem theoreticam exclusa practica plene effecta, sed tantum *mediata*, et *discursiva*, atque tanta, quanta ad finem nostrum est necessaria, atque etiam per rationem practicam adjuta, confirmataque: nam a) sicut organa sensuum mundi sensibilis objecta non prout in se sunt secundum totam essentiam sed quantum necessitates nostrae exigunt, exhibent, (quod infra dicetur) et sicut e consideratione artificii cujusdam, dexteritatem artificis secundum rationis nostrae principia rite arguimus, quin per hoc artificis intuitivam cognitionem acquiramus: ita etiam mundum transcendentalem per ratio-

nem, hujusque theoretica principia e mundo sensibili mediate, et discursive in tantum noscimus, in quantum necessitates morales id exigunt. b) Ratio theoretica, et practica non debent considerari quasi duo magistratus in statu quoad auctoritatem legum suarum inter se altercantes, usus tantum est diversus, ratio vero respectu suorum principiorum secum ipsa consentit, estque sibi semper simillima; proinde etiam in cognoscendis objectis sensus transcendentibus, suam habet partem, et ratio theoretica, et practica, et illa quidem praecedere, haec vero subsequi, atque illam in applicatioue suorum principiorum ab erroribus custodire, resultata ejusdem corroborare, et ad solvendas difficultates una collaborare debent. Hinc c) *quaestionem de primatu rationis* in se spectatae dicimus nullum sensum habere, ratio enim est una, simplexque facultas animae; ast si quaestio illa formetur de usu rationis theoretico, vel practico, asserimus, *quoad tempus*, et *cogitabilitatem*, primatum competere rationi theoreticae; prius enim est cognoscere, *quid sit*? ac *quid fieri possit*, *aut debeat*? *quoad interesse* vero, et *momentositatem*, prior est ratio practica ratione theoretica; plus namque significat scire recte agere, quam scire solum recte speculari, et cognitiones quaecunque theoreticae eatenus tantum evadunt momentosae, quatenus et practice sunt applicabiles, neque tam ad speculandum, quam ad recte vivendum, seseque in respectu morali perficiendum destinatus est homo. *Cf*, *Krugs Elementarlehre pag*. 196—7. *Frints Religions-Handbuch Th*. I. *pag*. 78—88.

3. Quod veritates de Objectis transcendentalibus per principia rationis theoreticae cognoscibiles, a multis fuerint negatae, aut in dubium revocatae, hoc tantum probat, quod illae non sint *immediate certae*, et *perspicuae*. Certitudinem nempe cognitionum nostrarum suos habere gradus jam in Logica §§. LII. LIII. innuimus. —

Aliquae tanta perspicuitate possunt demonstrari, ut ratio humana, quidcunque moliatur, nullas adversus eas possit movere difficultates; quae proinde cum suis argumentis possunt quidem ignorari, sed perspectis, et rite intellectis argumentis, nullatenus possunt contraverti, quia contrarium earum est impossibile. Supremam hanc, et omnimodam certitudinem solis cognitionibus mathematicis (in quibus objectum, et substratum, res repraesentatae, et repraesentationes unum idemque sunt) exclusis quibusvis aliis, etiam illis, quae ad mundum intelligibilem spectant, competere, jam ante Kantium noverunt veritatis studiosi; nemo enim unquam contendit repraesentationem *v. g. de Deo*, ipsam Divinitatem esse: sicut in Mathesi repraesentatio alicujus rei, ac res repraesentata identica sunt; neque ulli visum est aliquando pro *immortalitate v.g. animae* hujusmodi a se productum esse argumentum, quod talem omnimodam praebeat evidentiam, et apodixim, qualis est propositionis hujus: „*anguli in quovis triangulo aequantur duobus rectis*" quae ignorari quidem cum suo argumento, sed cognita in dubium trahi non potest; secus a demonstrationis illius epocha ita impossibile fuisset contra immortalitatem animae disputare, sicut adversus dictum theorema Matheseos impossibile fuit. — Sed praeter hanc omnimodam, et perfectam certitudinem, quae ibi tantum habet locum, ubi realis identitas obversatur, pro aliis cognitionum generibus datur alia certitudo *mediata*, et minus perspicua, contra quam potest quidem libido speculandi indiscreta difficultates, et dubia absolute obmovere, sed legitima, et sufficientia nequaquam; tali autem certitudine niti veritates Metaphysicae de objectis sensus transcendentibus suis locis probabimus, ostensuri manifeste, veritates has cum universalibus, necessariis, innegabilibusque principiis ita cohaerere, ut necesse sit esse vel constare, vel etiam ipsa principia, sine quibus ratio esse desineret, et

omnis rationalis cogitatio impossibilis foret, necessario falsa esse. —

4. Non juvat inter *rationem incultam communem*, et *cultam, philosophicamque* distinguendo asserere: pro illa tantum esse convictiva rationis theoreticae argumenta, quibus realitatem objectorum sensus transcendentium evincimus, non vero pro ista. Quamcunque enim quis a) magnus successive evadat philosophus, primo tamen e principiis communis rationis egredi debet; philosophus enim nemo nascitur, sed fit, juxta illud Senecae: „*Dii Philosophiae scientiam nulli dederunt, facultatem omnibus. Nam si hanc quoque bonum vulgare fecissent, et prudentes nasceremur: sapientia, quod in se optimum habet, perdidisset, inter fortuita esset. Nunc autem hoc in illa pretiosum, atque magnificum est, quod non obvenit, quod illam sibi quisque debet, quod non ab aliis petitur*" *epist.* 90. — b) Quantumcunque facultas cognoscitiva alicujus evolvatur serius, quantumcunque Horizon privatus extendatur, omnia haec tantum secundum illa communia principia fieri possunt, quae in ipsa primitiva indole rationis fundantur. Hinc non aliud est, inter Philosophum quamcunque magnum, et communem hominem hoc respectu discrimen, quam quod ille prae isto principia eadem rationis perfectius cognoscat, ex illis plures veritates felicius deducere sciat, et nexum eorumdem accuratius perspiciat. Ita nempe se habent principia communis rationis, sicut principia Matheseos elementaris, *e. g.* $1 \times 1 = 1$,, $2 \times 2 = 4$,, sicut enim haec valent etiam in Mathesi sublimiori: ita etiam principia rationis communis, *e. g. principium consensus, causalitatis*, etc. debent valere, et vim probandi habere pro qualicunque ratione culta, et subtiliter philosophante. Itaque ratio culta, et philosophica naturalem, et communem revereri debet, neque potest ab hujus obviis principiis ullo modo recedere, nisi cum

perpetuo sui dedecore, et pernicie; primo enim veritas quaevis sensu, et fide apprehendi debet, antequam philosophando evolvatur, et reflexione sola raro invenitur, sed tantum illustratur: et, si speculatio longius recedat a natura, aut figmenta imaginationis pariet, aut insolubilibus difficultatibus semet implicabit, aut persuasionem solum subjectivam loco convictionis verae suppeditabit.

§. X.

Brevis Historia Metaphysicae.

Metaphysica communem quidem cum reliqua Philosophia sortem experta est, cum ea exorta lentisque passibus progressa, cum ea collapsa, cum ea denique post universalem in Europa scientiarum instaurationem restituta, brevique maximis accessionibus est aucta, donec *Dogmatismi*, *Empirismi*, et *Scepticismi* vitiis depravata, recentissime crisi severissimae subjecta faciem suam mutaret, atque potiori ex parte, ut impossibilis, e numero scientiarum eliminaretur; habet tamen praeterea etiam propria sua fata, quae hic, ut illa Logicae, brevissime complectemur, ita, ut in recentioribus, et recentissimis ejusdem vicissitudinibus recensendis, utpote minus notis, tantisper ampliores simus.

I.

Metaphysica aevi antiquissimi.

Primae mentis humanae disquisitiones *physicae* fuerant propterea, quod omnis cognitio nostra ab experientia sensuum trahat initium.

Subinde perspecta objectorum singularium analogia, discrimine, ac relationibus mutuis, eventuumque nexu, ad notiones universales, invisibilium virium, et causarum ideas sensu interno, et externo, imaginando, et ratiocinando est deventum.

Omnium autem Inquisitionum metaphysicarum prima, praecipuaque argumenta erant sequentia: a) *Notio Spiritus*, *existentia*, *et natura* sensu intimo, reflexione, ac analogica conclusione hausta; naturam quidem spiritus a corporea natura diversam, ut hodie jam rationibus magis edocti scimus, veteres perfecte non conceperunt, neque immortalitatis animae humanae eandem nobiscum notionem, et rationes tenuerunt; attamen vel inter Graecos jam exstitisse quosdam, qui castigatam, et nostrae similem de natura simplici, et cogitante notionem informatam animo habebant, immortalitatis autem animae fidem non tantum sapientioribus, sed omni retro antiquitati aliquatenus, etsi plerumque mythologice notam, inviolabilemque fuisse, suis locis probaturi sumus. b) *Rerum extra se positarum*, quae certis proprietatibus, et agendi, patiendique vi differre videbantur, *naturae*, et *essentia* c) *Idea Mundi*, qua *Totius absoluti*, per varium, et multiplicem rerum in natura existentium nexum ingenerata, atque apud Graecos praeeuntibus *Pythagoreis* per *Jonicos*, et *Eleaticos* praecipue promota excultaque, licet primo serius post tempora *Socratis* hodiernae suae sanitati, et perfectioni appropinguaverit. d) Admisso semel principio: „*nihil fieri sine causa*“ in *mundi originem*, *causamque primam* inquiri coeptum est, quae inquisitio opiniones non tantum hiulcas, erroneas, et periculosas, sed etiam ita varias peperit, ut schola fere quaelibet veterum proprias sibi numeraret; hinc enatae sunt doctrinae illae antiquorum de aeternitate mundi,

Cosmogonia, de Deorum origine, *Theogonia*, de Commercio Deos inter et Spiritus, *Theurgia*, et *Magia*, dictae; hinc prodivere etiam *duo principia Persarum*, *bonum*, et *malum*, *Oromasdes*, et *Arimanius* appellata item *systema emanationis apud Gymnosophistas*, *etc.*

Licet autem haec prima, praecipuaque materialia Metaphysicae in statu isto infantiae intellectus humani attacta, atque imprimis per *Aristotelem* sufficienter praeparata fuerint; Metaphysicam tamen, ut distinctam a reliquis partibus Philosophiae scientiam, nullam noverunt veteres, sed solam Physicam, quam vel praeter Logicam, et Ethicam ut tertiam Philosophiae partem proposuerunt, vel Philosophiam theoreticam, et practicam distinguendo, ut illius partem subordinatam consideraverunt, atque in ipsa physicas, et metaphysicas quaestiones promiscue pertractarunt. *Philosophiae*, inquit Seneca epist. 89, *tres partes esse dixerunt et maximi*, *et plurimi auctores: moralem*, *naturalem*, *et rationalem.* — *Naturalis pars Philosophiae in duo scinditur*, *corporalia*, *et incorporalia* „Augustinus de civit. Dei L. 8. C. 4. haec habet: *Tuum studium sapientiae in actione*, *et contemplatione versetur; unde una pars ejus activa*, *altera contemplativa dici potest*, *Plato utrumque jungendo Philosophiam perfecisse laudatur*, *quam in tres partes distribuit: unam moralem*, *quae maxime in actione versatur; alteram naturalem*, *quae contemplationi est deputata; tertiam rationalem*, *qua verum disterminatur a falso*“ — E contrario Aristoteles, teste Diogene Laërtio L. V. C. 29, etsi in duas partes diviserit Philosophiam, theoreticam nempe et practicam, hanc rursus subdiviserit in Ethicam, et Politicam, illam vero in Physicam, et Logicam; tardioribus

tamen *Peripateticis*, teste Cicerone L. V. Fin. C. 4., *forma Philosophiae*, *sicut fere ceterarum scientiarum triplex fuit. Una naturae*, *disserendi altera*, *vivendi tertia*; Ubique proinde tantum Physicae, et non Metaphysicae fit mentio, ita, ut etiam sic appellata serius *Metaphysica Aristotelis* non aliud fuerit, quam continuatio ejus Physicae, etsi in illa ultra progrediens, quam in hac, resque sensus transcendentes inquirens pro systemate distincto Metaphysicae deinceps adornando fundamenta, materialiaque suppeditaverit.

II.

Methaphysica Aevi medii.

Romani ad inventiones faciendas non dispositi, verum Grecorum non libero, sed imitatorio modo studiosi, sicut in reliqua Philosophia *Ecclectici* erant: ita in studio quoque Metaphysicae novi nihil protulerunt; sed optima, prout putabant, e Graecis conati sunt seligere philosophis. Interim tamen opera philosophica Ciceronis, aliorumque quorumdam hodie etiam lectione digna sunt, vel ideo, quod in illis deprehendere sit pleraque antiquorum eruditorum placita, quae injuria temporum ad nos usque non pervenerunt.

Primorum Christianorum Metaphysica majori ex parte *mystica* erat, doctrinaeque revelatae immixta; etsi enim non defuerint inter ipsos multi, qui systemata antiquorum Graeciae philosophorum serio excutientes, ex his placita quaepiam Religioni suae conformia sedulo excerperent, quibus primo quidem ad facilius alliciendos, aut convincendos cultiores Graecos, deinde ad confutandas haereses, ac tandem etiam ad ipsius Re-

ligionis Christianae dogmata explicanda, confirmandaque, paucis exceptis, laudabiliter utebantur; omnia tamen illa, quaecunque argumenti metaphysici pertractarunt, dogmatibus Religionis revelatae interseruerunt ita, ut tota eorum philosophandi ratio cum *Rationalismo* conjunctus *supernaturalismus* possit dici, uti hoc opera *Justini*, *Clementis Alexandri*, *Augustini*, *Dyonisii Areopagitae*, *Boëtii*, *Cassiodori*, aliorumque testantur. — Complurimi vero illam valde improprie dictam *Philosophiam Orientalem Gnosticorum*, et *Neo-Platonicorum*, ex mythis veterum, allegoriis Platonicis, et figmentis Pythagoricis compositam adoptantes, mundana, divinaque confuderunt, et nimio speculandi studio, supernaturaliumque amore abrepti, omne illud, quod naturali succedebat modo refugiebant, non nisique supernaturalibus, et mysteriosis delectati, Philosophiam qua medium cum essentia Dei summi hominem conjungens spectabant. Sic factum est, ut sanae inquisitioni finem imponerent, atque ipsam etiam salvificae Religionis Jesu doctrinam infinitis phantasticis ideis, perniciosisque erroribus deturparent; sicut hoc somnia *Basilidis*, *Sarturnini*, *Cerinthi*, *Marcionis*, *Carpocratis*, *Valentini*, aliorumque *Orientalium Gnosticorum* satis superque probant, qui simplicibus, ac perspicuis Religionis Christianae doctrinis, per ipsa etiam rationis philosophicae principia probatis, non contenti, absurdissimas de Deo, Spiritibus, et Mundo fovebant opiniones. Quibus, aliisque jam in historia Philosophiae insinuatis causis evenit: ut sicut reliquae Philosophiae, ita et Metaphysicae studium non tantum his, sed etiam subsequentibus seculis parum, aut nihil perficeretur, paucosque in sic dictis *Partibus Ecclesiae* cultores systematicos numeraret.

Deinceps Metaphysica nihil aliud fuit, quam aggregatum vocum barbararum, et congeries inanium subtilitatum, quae rixis illis *Theologico-philosophicis*, quibus aetate hac scholae fere omnes perstrepebant, ansam praebuerunt. *Arabes* nempe, et *Scholastici* omnem suam Philosophiam in solius Aristotelis placitis exponendis, commentandisque reponentes, in Metaphysica etiam sua huic uni adhaeserunt, ita, ut non quaererent, quid ratio, sed quid Aristoteles dicat? nihilque verum censerent, nisi quod ex ore hujus Stagiritae effluxerat. Quia vero non ea fuit omnium conditio, ut Aristotelis mentem et consilia in Libris metaphysicis intellectu valde difficilibus assequi possent, unice ad ea intenti, ad quae Philosophus hic speculationes suas praecipue dirigebat, *Entia* nempe in genere, *Spiritus*, et *Deum*, Metaphysicam sumebant constare *Ontologia Pneumatologia* et *Theologia;* atque etiam in his, quae Aristoteles docuerat, varie sunt interpretati, alter altero melior interpres videri voluit, alter cum altero rixabatur, alter alterum damnabat, et philosophus Graecus in fine solo nomine supermanente disparuit, ita, ut quivis Scholasticus suum proprium traderet Aristotelem, id est, sua phantasmata, vanasque species Aristoteli adscriberet, eo gloriosior, quo subtilior, et obscurior esse poterat. Quae tolerabilia adhuc fuissent, si conceptibus Aristotelicis recondita maxime Religionis mysteria subjicere non pertentassent, sicque sanctam, et planam illam Religionis Christianae primorum seculorum doctrinam obscurando, infaustis litibus Theologicis non praelusissent. — Interea tamen sua sunt Arabibus, et Scholasticis de Metaphysica merita a nemine deneganda; multa enim praeclara de *ente*, *substantia*, *accidente*, *forma*, *materia*, *anima*, *mundo*, *Deo* protu-

lerunt, quae tamquam totidem grana aurea aliis minus utilibus immixta in operibus ipsorum inveniuntur; ut adeo iniquus ille esset, qui ignorantiam mediorum horum seculorum aut ex toto viguisse diceret, aut a stupiditate doctorum potius quam a genio temporis, minusque recta cogitandi ratione repeteret.

III.

Metaphysica Aevi recentioris.

Labentibus barbariei, et ignorantiae seculis, quia, quod in scholastica philosophandi ratione reprehensum fuerat, id maxime in Metaphysica deprehenderetur; Aristotelis adorata auctoritas humiliari coepit, et non nullis quidem Metaphysica e scholis proscribenda omnino visa est, alii diversam ejus tractandae viam iniverunt, paucissimi vero reformatorum se illi nova ratione evolvendae accinxerunt; quo factum est, ut systema scholasticum Metaphysicorum apud multos in honore permanserit, aliis illud reformantibus, aliis universim damnantibus.

Vir ille immortalis, qui ipse per lectionem operum graecorum, et latinorum summe eruditus, in coaetaneis quoque suis spiritum acriorem veritatis materialis inquirendae excitavit, fuit *Baco Verulamius*, qui in suo *Organo scientiarum* proposuit; a) loco inutilium, et subtilium metaphysicationum scrutari objecta propioris, communisque usus, b) recepta principia, et praejudicia, quae universim *Idola* appellavit, deinceps severiori examini subjicienda esse, c) demonstrationes non e sola magica vi syllogismorum, sed ex *analogica inductione* deducere, quae a particula-

cularibus datis experientiae egreditur, et ad universales propositiones transit. Sic jecit fundamentum instaurandi *Empirismi*, quem deinde *Joannes Lockius* in suo celebri opere Londini 1690. edito, et „*Tentamina de Intellectu humano*" inscripto in tantum extenderat, ut omnes nostras cognitiones etiam abstractissimas ab experientia derivare adniteretur; unde haec ratio Metaphysicae etiam *Empirismus Lockianus* dicitur, praeprimis per *Petrum Gassendi*, *Hobbesium*, *Huetium*, et *Vëtium* promotus, in quibus sicut universa *Philosophia Cartesiana*, hoc recte tempore invalescens, ita et *Metaphysica* acerrimos adversarios nacta est, a quibus partim *Atheismi*, partim *Scepticismi* postulabatur.

Cartesius nempe in Gallia contra Empiristas jura rationis vindicare, *Rationalismumque* restabilire conabatur. In hunc finem a) *dubitationem* tamquam unicam *conditionem veritatis materialis* assumsit; b) pro *Criterio veritatis sufficiente claritatem*, et *perspicuitatem*, pro *principio* vero *sensum intimum* „*Cogito ergo sum*" statuit; c) e sensu intimo deducit libertatem animae, ex immaterialitate vero ejusdem arguit immortalitatem; qnam d) ne brutis quoque attribuere cogatur, haec machinis vivis adnumerat; e) asserit duo tantum dari genera *substantiarum*, genus *extensarum* et genus *cogitantium*, inter has ultimas unicam tantum esse *infinitam*, *finitas* innumeras; f) *ideam Entis realissimi* vult animae nostrae esse innatam, et hujus primum attributum esse existentiam; ideo argumentum *Anselmianum* pro existentia Dei (*ontologicum*) e notione Entis realissimi desumtum primus transtulit in metaphysicam. Sequaces complures numeravit, praecipui sunt: *Sylvanus Regis*, *Malebranche*, *Antonius Magnus*, *Bayle*, *Arnauld*,

Clauberg, *Becker*, et *Benedictus Spinosa* placitis Cartesii impiissime abutens; de quibus per decursum, et coram plura dicemus.

Lockio ex adverso stabat in Germania magnus ille *Leibnitius*, qui in omni fere genere scientiarum versatus, etiam Metaphysicae recentioris apud Germanos conditor omni jure appellatur; non scripsit quidem is ullum systema metaphysicum, in specialibus tamen suis tractatibus, uti: *Monadologia*, *Theodicea*, et *Novo tentamine de Intellectu humano*, quod Lockiano opposuit, principia suppeditavit sicut pro universa Philosophia, ita et Metaphysica reformanda. — Talia principia sunt: a) dantur veritates necessariae non tantum in Mathesi, sed et Philosophia, quarum certitudo non ex experientia eruitur, sed in ipsa anima fundatur: hoc principio voluit occurrere illis difficultatibus, quae Rationalismum Cartesii premebant. b) Veritates necessariae sunt animae innatae non quidem quoad conscientiam, sed quoad dispositionem, ita, ut tantum occasionem externam se evolvendi exspectent; c) repraesentationes obscurae per sensum, perspicuae per intellectum efficiuntur; d) veritates necessariae per principium contradictionis, contingentes per principium rationis sufficientis demonstrantur, quo una ad Causam primam, et absolutam omnium extra seriem contingentium deducimur; e) repraesentationes ad objecta externa relatae debent iis correspondere, secus illusiones forent; f) omnes substantiae ejusdem generis sunt, contra ac Cartesius asseruit; non tamen omnes Spiritus, ut *Berkeleyus* voluit, g) cumulus omnium realitatum (Deus) nullam contradictionem involvit, jam in possibilitate ejus continetur ipsa existentia: Deus itaque necessario unus, independensqe existit, omnia autem reliqua contingenter, et ab

eo dependenter; h) non dantur duo indiscernibilia; i) possunt plures substantiae connexae cogitari, sed ratio sufficiens totius connexionis nonnisi in *simplici* esse potest; substantiae itaque sunt entia simplicia, et *Monades* vocantur, quarum quatuor classes constituit, et omnes vi repraesentandi, et appetendi praeditas esse contendit; k) mundus tantum unus, isque *optimus* existit, qui potuit etiam ab aeterno existere; l) substantiae in se mutuo realiter non agunt; attamen in nulla substantia reperiuntur aliae repraesentationes, et appetitiones, quam tales, quae statui omnium cum ea connexarum accurate respondent, et hanc ordinationem rerum vocat *Harmoniam praestabilitam.*

Principia haec Leibnitii occasionaliter tantum prolata in systema redigens *Wolfius*, Metaphysicae novum, atque a vulgari valde diversum specimen edidit, quod in quatuor partes distribuit ita, ut *Ontologiam*, qua scientiam praedicatorum entis universalium, et necessariorum, reliquis partibus, uti *Cosmologiae*, *Psychologiae*, et *Theologiae* fundamenti instar praemitteret, atque in his tribus partibus principia ontologica ad summa genera objectorum, mundum, animam, et Deum applicaret. Quia vero omnis haec moles metaphysicarum assertionem certis principiis, imprimis contradictionis, et rationis sufficientis innixa, de quibusvis objectis, naturalibus, et supernaturalibus, possibilibus, et existentibus definitive judicabat, quin in originem, et veritatem ipsorum principiorum inquireret, recentius appellata est *Leibnitiano-Wolfianus Dogmatismus*, qui licet, initio per totam Germaniam tanto cum applausu susciperetur, ut ei Aristotelico-Scholastica Metaphysica ubique cedere debuerit (quod propter strictum in cogitando ordinem, tentatam diffici-

lium quaestionum solutionem, et methodum mathematicam accidit) habuit tamen ille, et praeprimis ipsius auctor etiam suos infensissimos adversarios, a quibus ut civitati, et religioni periculosus traductus, tandem rescripto regio in exilium quoque missus est. Quod quamvis adhuc solum gloriam ejus parum imminuerit; effecit tamen, ut quidam ipsa principia Wolfii severiori examini subjicientes detegerent, in ipsius Metaphysica multa precario, temerarie, et quin demonstrari queant, sumi, neque methodum mathematicam ita commode, ut Wolfius opinabatur, ad inquisitiones Metaphysicas applicari posse. Sic evenit: quod relicta regione aetherea, in qua Wolfius cum suis abstractissimis ideis sublimiter versabatur, ad firmam experientiae secundum ductum Lockii descendendo, Empirismus fere universaliter reductus adoptaretur, et contra *Rationalistas* experientia pro primo cognitionum humanarum principio denuo assumeretur: licet etiam hi novi Empiristae principiorum suorum non satis tenaces, saepius demonstrationes objectorum sensus transcendentium necterent, ad exemplum parentis sui Lockii asserentis: existentiam Dei, immortalitatem animae etc. etsi objecta sensus transcendentia, ita evidenter demonstrari posse, sicut propositiones Mathematicas; unde iterum *Syncretismus*, et *Ecclecticismus* antiquus renatus est. — Adversarii Wolfii celebriores sunt: *Lange*. *Strahler*, *Buddeus*, *Valch*, *Rüdigerus*, et praeprimis *Crusius;* inter amicos vero ejusdem referuntur: *Bilfiger*, *Harenberg*, *Cramer*, *Ernesti*, *Winkler*, *Gottsched*, *Baumeister*. *Baumgarten*, *Meier*, *Reimarus*, *Lambert*, *Mendelsohn*, *Eberhard*, *Platner etc.*

Cum vero hi in Germania de *Dogmatico rationalismo* inter se decertarent, in Anglia et

Gallia *Empirismus* regnabat, et *Materialismus*, *Mechanismusque* adeo invaluerunt, ut fere omnis *spiritualitas*, *voluntatis libertas*, *causae finales*, et *mortalitas* disparerent, atque infaustae illi *Illuminationi* tardius per *Encyclopaedistas* promotae praeluderetur, quae hominem dignitate sua exuens, funestis temporibus revolutionis Gallicae infame scortum, ut deam sapientiae, adorare jussit! — *Bonnet*, *Priestley*, *d'Alembert*, *Diderot*, *Büffon*, *Helvetius*, *Voltaire*, *Rousseau*, nomine philosophi plerique indigni, huc referendi, sunt. Salvit 352.

Scepticismo, *Atheismo*, *Irreligiositati*, tamquam totidem sequelis periculosis Empirismi Lockiani in Anglia non alias putabat *Georgius Berkeley* occurri posse, quam negando corporum extra animam existentiam realem. Hinc asseruit: *Idealismum* esse unice verum Systema cognitionum, sequentibus principiis superstruendum: a) per sensus solas externas prorietates objectorum, non autem eorumdem existentiam, et substantialitatem possumus percipere; mundum proinde materialem assumere phantoma foret,„b) homo nihil aliud percipit nisi suas proprias ideas; quarum tamen auctor ipse non est, sed eidem debent communicari a Spiritu perfectissimo, a quo, omne quod realiter existit, cognoscitur, et comprehenditur“ c) attamen per absolutam libertatem suorum errorum, et vitiorum auctor est ipse homo.

Gravibus his Empirismi, Dogmatismi Eccleeticismi, et Idealismi vulneribus jam alioquin satis afflictae Metaphysicae mortem minabatur *Humius* acri sua novi scepticismi defensione. Auglus hic pro fundamento suarum inquisitionum principium illud Empiricorum „*omnis cognitio humana oritur ex experientia*“ assumens, consequen-

ter inferebat: impossibile esse rationi alicubi objectivam seu materialem veritatem detegere, imo si id tentet, in phantasmata mera, et illusiones ipsam incidere. Hoc ut evinceret, *Conceptum metaphysicum causae*, cui *principium causalitatis* in Metaphysica Leibnitiano-Wolfiana innitebatur, imprimis disquisitioni subjiciens, quaesivit: quomodo ratio conceptum hunc ex se progignat? et quali jure usum objectum ejusdem faciat? cumque deprehendisset, quod sub *conceptu causae* denotetur necessaria, et universalis synthesis rerum heterogenearum, vi cujus, si una res ponatur qua causa, altera quoque qua effectus necessario poni debeat; experientia autem, quae *contingentiam*, et *pluralitatem* tantum docet, talem *universalem* et *necessariam* synthesim, seu connexionem causae cum effectu non probet, nec probare posit, et ex concessis praeter experientiam non sit alter fons cognitionum; conclusit: *Conceptum causae*, quem ratio tamquam ex se progenitum proponit, non *conceptum rationis*, pro quo hucusque falso habebatur, sed esse productum vacuum, inane, subtrusum, chimericum, et spurium imaginationis, quae saepius per *consvetudinem* (quae subjectiva necessitas est) certas res in *relatione simultaneitatis*; aut *successionis* perceptas obtrudit, in locum *necessitatis subjectivae objectivam* substituit, et rationi persvadet, objectivam connexionem adesse, ubi sola subjectiva *associationi idearum* superstructa praesto est, adeoque etiam *veritatem materialem*, quae in illa objectiva connexione fundaretur, esse tantum a ratione in suum commodum procusum phantoma. Cum autem Humius principia haec sua etiam ad existentiam Dei, Providentiam, Miracula, animae immortalitatem, etc. applicans, demonstrare conaretur, pro his obje-

ctis nulla argumenta sufficienter convincentia suppetere; paratus fuit scepticismus universalis, quo non tantum scientiae naturae, sed omnis Metaphysicae, totiusque Philosophiae impossibilitas adstruebatur, et qui superari nuncquam posset, si principium illud Lockii, *omnis cognitio oritur ex experientia* „item istud Humii„ *omnes nostri conceptus*, *qua repraesentationes debiliores*, *sunt tantum copiae impressionum*, *qua repraesentationum fortiorum* pro certis fundamenti instar sumerentur, rationique non concederentur universalia et necessaria quaepiam principia, ac leges, secundum quas illa, se supra experientiam elevans, cognitiones majoris adhuc certitudinis, quam sint cognitiones experientiae, suppeditare valeat; experientia enim hoc tantum docet: quid sit, vel fiat, non autem quid sit universim, aut esse necessario, fierive debeat. Hinc factum est: quod etsi multi in Humium consurrexerint adversari (quales praecipui sunt: *Beattie*, *Oswald*, *Pristley*) is tamen scepticismo suo nihil metuerit; omnes enim hi ex eodem principio Empirismi, ex quo Humius eggressi, periculosas tantum sententiae Humianae sequelas objectabant, quas ultro concesserat Humius, imo nec universalitatem et necessitatem *conceptus causae*, quam adversarii e *communi sensu* probabant, negavit; sed instando quaesivit: quomodo ratio conceptum causae efformet, et quo jure synthesim necessariam, et objectivam rerum diversarum medio illius sibi cogitet? cum proinde ad has quaestiones nulla adaequate sufficientia responsa acceperit, omnia tela in ipsum jacta in jacientes recidebant.

IV.

Metaphysica Aevi recentissimi.

Quemadmodum olim Plato ab Heraclito, sic se icit *Kantius* excitatum esse ad inquirendam veritatem ab Humio. Longa lectione, profunda meditatione, omniumque antea vigentium philosophematum severissimo examine praemisso, deprehendit sagacissimus hic Criticorum philosophorum parens, scepticismum Humii eousque inevitabilem manere, quoad cum Empiricis principii instar sumeretur: omnem cognitionem unice ex experientia provenire et cognitiones *a priori*, id est ab experientia penitus independentes, huncquae ipsam ut conditiones in anima praecedentes, nullas dari; si enim experientia, quae necessariam, et objectivam synthesim rerum heterogenearum docere nequit, est unicus fons omnis cognitionis, omne tale judicium, quod synthesim illam seu connexionem inter subiectum et praedicatum enunciat, precarium, arbitrarium, et chimaericum esse debebit, sicque non tantum Metaphysica mundi intelligibilis, sed etiam sensibilis seu naturae impossibilis erit; eadem enim difficultas, quae in scepticismo Humii conceptum causae premit, etiam alios conceptus, principiaque universalia et necessaria omnis Metaphysicae manet.

Huic suae persvasioni conformiter principium supremum Humii ab Empiristis transumtum addubitavit Kantius, et praeter experientiam aliud principium cognitionum statuit ipsam *Facultatem cognoscitivam* animae, tamquam proprium, unicumve fontem omnium cognitionum a priori. Concessit quidem Humio omnem cognitionem *incipere cum experientia*; sed hinc negavit inferri pos-

se, omnem cognitionem etiam *oriri ex experientia*, imo assèrit, fieri posse, ut etiam cognitiones nostrae empiricae sint compositae ex eo, quod per impressiones ab objectis externis accipimus, et ex eo, quod facultas cognoscitiva, excitata tantum per illas impressiones, ipsa quasi e proprio fundo superaddit, quod additamentum ab illa substrata materia non prius novimus discernere, nisi ubi diuturnus usus ad ejus abstractionem satis idoneos non reddiderit. Quare Kantius problema illud Humii: *quomodo necessaria connexio causae et effectus sit possibilis?* latius extendi vult ita ut in genere quaeratur: an, et quomodo necessaria connexio quarumvis repraesentationum, et conceptuum diversorum universim sit possibilis? id est: *utrum, et quomodo cognitiones a priori, independentes penitus ab experientia sint possibiles?* —

Quod cognitiones a priori reipsa multas habeamus, adeoque assumtum principium Humii falsum sit, conatur evincere Kantius ex existentia *Matheseos*, et *scientiae Naturae*, quarum propositiones, utpote universales, et necessarias, omnes dicit esse cognitiones *syntheticas a priori*: quomodo autem sint tales cognitiones possibiles? explicari non posse contendit, si praejudicio illi antiquorum Dogmaticorum „*Cognitiones se debent conformare objectis*" adhaereatur; sic enim tunc tantum erit possibilis cognitio alicujus objecti, dum hoc per experientiam, adeoque *a posteriori* datur, non autem antea, seu a *priori*. Quamobrem principium illud invertendum, et sic tenendum esse vult: *objecta se debent conformare facultati nostrae cognoscitivae* dicitque se hoc in puncto imitatum fuisse *Copernicum*, qui difficultatibus illis permotus, quae hypotheses aliorum ante se Astronomorum, asserentium

terram stare et solem moveri, premebant; inverse solem stare, et terram moveri ponens omnia phaenomena systematis stellarum felicius explicuit.

Hoc posito *Rationem Theoreticam* (sub qua universam activitatem theoreticam animae intellexit) crisi subjecit, deprehenditque possibilitatem necessariae connexionis representationum, sau cognitionum a priori in ipsa originaria indole, et natura Facultatis cognoscitivae fundari (*Formalismus*) quatenus haec certis *Formis* ceu legibus subjecta est ab experientia in dependentibus. Quia vero facultatem cognoscitivam in facultatem *sentiendi* et *intelligendi* divisit, alias dixit esse *Formas sensualitatis*, alias *intellectus:* illas contendit esse duas, *Intuitus* nempe *puros Spatii*, et *Temporis;* has vero numerat duodecim, atque post Aristotelem *Categorias* nominat, ex quarum cum prioribus connexione deducit *Schemata*, id est modos applicandarum Categoriarum ad objecta experientiae fine cognitionis, et Schematibus his tandem superstruit supremas leges intellectus in cognoscendo, ita, ut quidquid sub has formas originarias, legesque nativas facultatis cognoscitivae non cadit, cognosci a nobis nequeat. Cum autem formas istas, legesque cognoscendi tamquam totidem conditiones formales experientiae spectet; omnem cognitionem a priori ad objecta sola experientiae restringit, ita, ut etiam haec ipsa non cognoscamus, qua res in se (*Noumena*) sed in quantum per perceptionem dantur, et per leges facultatis cognoscitivae determinantur (*Phoenomena*) — Et hanc suam Theoriam *Idealismum transcendentalem* appellavit; nos vero *Idealismum formalem* vocamus.

Idealismo huic suo, *Formalismoque* innixus Kantius solam *Metaphysicam naturae*, tamquam systema cognitionum a priori de objectis

experientiae (quae simul sumta *Naturam*, vel *Mundum sensibilem* appellat) admittit possibilem; *Metaphysicam* autem *mundi intelligibilis*, qua systema cognitionum de objectis sensus transcendentibus, e numero partium Philosophiae theoreticae tamquam impossibilem eliminat ideo; quia haec ageret de Mundo, Anima, et Deo, ut totidem *Absolutis*, quarum *Ideas* necessitatur quidem ratio a natura sua in absolutum tendens, efformare iisque ut totidem *formis*, seu *regulis* ad ampliandas cognitiones reales uti, sed si usum earumdem *constitutivum* facere vellet, id est, ideis his suis etiam objecta a parte rei respondere vel non respondere evincere nitatur, se ipsam deciperet, repugnatiisque involveret. Hinc infert cognitionem objectorum sensus transcendentium *problematicam* esse.

Principia haec, quae Kantius duplici opere complexus est, altero, quod „*Criticam rationis purae*“ altero, quod „*Prolegomena in omnem futuram Metaphysicam, qua scientiam*“ inscripsit, et per quae vane gloriatur se dedisse rationi, quod rationis est, et sensibus, quod sensuum est, atque Dogmatismum, Empirismum, Idealismum, et Scepticismum una confodisse, tantum abest, ut id, quod promittunt, perfecerint: ut potius Dogmatismo, Idealismo, Scepticismo, aliisque *transcendentalibus* abortibus rationis philosophantis ansam, materiam fomentaque nova addiderint. Multi quidem Germanorum in Metaphysicis suis operibus vestigia Kantii ita presse sequuntur; ut licet in aliis ab ipso recederent, in *Doctrina* tamen *de Mundo, Anima*, et *Deo* ipsi plene consentiant, sicut hoc compendia recentissima *Wilhelmi Krug*, *Jacobi Fries*, *Wilhelmi Gerlach* legenti clarum fiet, in quibus Criticismus Kantianus aperte, vel

occulte, plus, aut minus se se insinuat. Alii tamen criticam hanc philosophandi rationem, qua imperfectam, vitiosam, aut mancam reprehenderunt ideo; a) quod novis hactenusque inauditis terminis, et notionibus subtilissimis referta seminarium litium, et inanium disputationum existat; b) quod per sua *phaenomena*, et *noumena* Idealismum, aut Scepticismum redoleat, et per hoc communem intellectum offendat; c) quod multa more Chemicorum separet, quae reipsa unum sunt, quin eadem denuo uniat, aut unum esse revera indicet; d) quod principia cognitionis ut sibi coordinata proponat, quin eadem ex uno supremo principio ut subordinata deducat; e) quod omnia cognoscibilia in fasciculos formarum nihil formantium, et in farragines intuitionum purarum, in quibus nihil se intuendum praebet, systematice convertat, quod Humii scepticismus tantum rapsodice praestitit; denique f) quod cognitionis philosophicae Dei, libertatis, immortalitatisque animorum possibilitatem negans, haecque ut totidem pia desideria tantum voluntatis humanae, seu *postulata rationis practicae* proponens, fundamenta complurium scientiarum subruat, fontesque veros solatii rationalis miseris mortalibus eripiat.
Hae, aliaeque causae, quae in Philosophia Kantiano critica, ut totidem vitia notabantur, effecerunt: ut Germani nova instituerent Tentamina, quibus partim antiquum Dogmatismum, aut Eccleсticismum in Metaphysicam denuo reducere, et rescissis omnibus principiis Formalismi stabilire adlaborant (uti fecerunt, et faciunt *Antikantiani*) partim ipsamPhilosophiam formalem ad supremum punctum cognitionis elevare, et systema *scientiae absolutae*, reddere conantur, ad quam Kantius (ut dicunt) viam solum praemonstravit, et fundamenta posuit: ut sic in *Absoluto*, in quo

esse, et *scire* identica sunt, et omnia *opposita reflexionis* suferuntur, summus gradus sapientiae attingatur. Atque sic spiritus ille criticus, jam initio satis *dogmatisans*, iterum in perfecte *dogmaticum* degeneravit: et quia Absolutum illud jam *intuitu*, jam *cogitatione*, jam *scientia*, jam *fide* cognosci, et comprehendi posse, jam *addubitandum* esse putabatur, diversa systemata subtilissima peperit, uti:) *Transcendentalem Idealismum Fichtei*, *Pantheisticum Realismum Schellingii*, *Transcendentalem Rationalismum Bouterweckii*, *Rationalem Realismum Bardili*, *et Reinhold*, *Rationalem Intuitismum Henrici Jacobi*, et *Transcendentalem scepticismum Ernesti Schulze*, (qui nomine Metaphysicae rejecto, vel ipsam cum Logica confundendo (sicut Bardili, et Reinhold fecerunt) sub aliis novis titulis quaestiones metaphysicas tanta cum obscuritate, subtilitateque pertractant, ut saepe suspicari liceat, an vel se ipsos rite intellexerint; hinc factum est, quod et ab origine per paucos; hodie vero jam fere per neminem colantur. Idem fatum experta sunt etiam) recentissima molimina philosophica *Thorild*, *Berg*, *Abicht*, in quibus, quod verum, antiquum, quod novum, erroneum, mysticumque est. Quare transcendentales hos homines nominasse tantum hic, quin systemata ipsorum singillatim exponerem, pro scopo meo satis esse duxi. (*Cf. Wilh. Tennemans Grundriss der Geschichte der Philosophie. Ruszek Jósef a' Philosophiának rövid historiája.*

Interim etsi Tentamina haec excentrica Germanorum indoli, et scopo verae Philosophiae plene non respondeant; id tamen, praeprimis illa Kantii, et Krugii habent meriti, quod indolem, et ambitum Metaphysicae, tamquam peculiaris scientiae fixerint, notiones multas, et materias mutaphysicas accurate determinatas, ab alienis pe-

nitus repurgatas, apteque connexas tradiderint; et sic spem faciant fore: ut ratio philosophica citius, aut serius in sui cognitionem deveniat, limites suos rite observet, methodum philosophandi perfectam detegat, teneatque, et scopulos illos, in quos hucusque incauta impegerat, deinceps propriis periculis docta, felicius evitare sciat; donec tandem bona causa genuinae sapientiae gloriose triumphet! —

Apud alias Nationes aevo hoc recentissimo pauca, eaque valde debilia vestigia studii in Metaphysicam conversi reperiuntur. — *Angliae* philosophi viam Empirismi a Bacone, et Lockio praemonstratam hodiedum sequuntur, unicus *Stewart* videtur in psychologia ab illa deflexisse. — In *Gallia* quoque a temporibus Condillac adhuc omnia in Empirismo versantur ita, ut totam fere Gallorum philosophiam domestici hujus philosophi placita absolvant, non nisique recentissime invenerit apud ipsos aliquem aditum Metaphysica principiis Germanorum non nihil attemperata sub nomine *Ideologiae.* In *Hollandia*, *Italia*, *Dania*, *Suecia*, *Hungaria* plura quidem ingenia, operaque philosophica comparent; sed pauca *originaria.*

METAPHYSICAE PURAE
PARS PRIMA
ARCHOLOGIA.

Res postulat, ut priusquam Doctrinas de Numine, Natura et Homine persequamur, constituatur una scientia universalis, *Philosophia prima*, quae sit Mater reliquarum.

Baco Verulamius.

CAPUT PRIMUM

de

Cognitione in genere

§. I.

Definitio cognitionis.

Quaecunque operatio Intellectus humani, ab eo, circa quod versatur abstracta, universim *Repraesentatio*, vel *Cogitatio* dicitur: quod si vero haec ad objectum certum, et determinatum referatur, *Cognitio* audit; ut adeo *Cognitio* nihil aliud esse videatur, quam cogitatio de determinato quopiam objecto, sicut re ipsa duae hae notiones sermone vulgi frequenter confunduntur. Ast quia repraesentando solum, aut cogitando aliquod objectum hoc ipso non cognoscimus, nisi notas illius in conscientiam nostram assumentes uniamus, et ad objectum ipsum referendo, huic attribuamus; *cognoscere* idem est: ac repraesentationem aliquam ad suum determinatum objectum referre, et *Cognitio* repraesentationis ad objectum determinatum (reale) relatio rectius dicitur; e. g. *repraesento mihi hominem quempiam ut civem Romanum, consulem, princi-*

pem Oratorum, philosophum, auctorem multorum operum, et haec tamquam totidem notas in conscientia mea unitas refero ad determinatum hominem Ciceronem, huicque attribuo, ac sic judico: Cicero est sapiens, dum hoc facio, jam non tantum cogito, sed etiam cognosco Ciceronem, et haec meae animae functio cognitio est.

Repraesentatio proinde est conditio necessaria omnis cognitionis ita, ut cognitio alicujus objecti, cujus nulla repraesentatio habetur, sit contradictio; sola tamen repraesentatio objecti, non est ejusdem cognitio; e. g. *sisto menti meae montem aureum, nemo quidem negabit, quod ejusdem repraesentationem habeam, sed nemo etiam affirmabit, quod hoc ipso eundem cognoscam: e contra repraesento mihi montem Gerardi Budae cum suis notis, quilibet asseverabit me ejusdem cognitionem habere; quare igitur haec posterior repraesentatio sit una cognitio, non autem illa prior, ratio est, quia haec est vacua, sine objecto reali, illa autem habet suum objectum, ad quod refertur, determinatum, et vere existens.*

§. II.

Elementa Cognitionis.

Cum Cognitio quaevis repraesentationis ad objectum relationem innuat, *Objectum* et *Subjectum* suum habeat, est necesse; repraesentatio enim, et hujus relatio fieri nequit, nisi adsit quispiam, qui repraesentationem in conscientia efficiat, ipsamque ad aliud aliquid a se diversum referat, et nisi adsit aliquid, ad quod repraesen-

tatio efformata referri possit, repraesentans ille, repraesentationemque ad aliquid referens, est *Subjectum cognitionis;* istud vero aliquid, quod repraesentatur, et ad quod repraesentatio refertur, *Objectum cognitionis* vocatur; e. g. *habeo cognitionem montis Gerardi*, *ego*, *seu anima mea est subjectum hujus cognitionis*, *mons vero Gerardi ejusdem objectum constituit.* Hinc

Cum quaevis Cognitio objectum suum habere debeat, et hoc conscientiae certo modo sistatur, in omni cognitione etiam *Materia*, et *Forma* distingui debent. *Materia cognitionis* est objectum, circa quod mens cognoscendo versatur: *Forma* vero *cognitionis* est ille modus, quo objectum in conscientiam assumtum cognoscitur. *Sic in priori exemplo materia cognitionis meae est mons Gerardi*, *cum suis notis*, *forma vero est ille modus*, *quo montis hujus mihi conscius fio.*

§. III.

Species Cognitionis.

Cognitio quaevis, e repraesentationibus, una, vel pluribus ad objectum relatis coalescens, cum judicium involvat; *quoad formam* ex iisdem respectibus dividitur, e quibus istud in Logica divisimus, adeoque ratione *quantitatis*, *qualitatis*, *relationis* tam *internae*, quam *externae*, nec non *modalitatis* easdem species numerat, quas judicium, ita ut mutatis mutandis, quaecunque de judiciis, qua Logici diximus, ad cognitiones quoque applicari possint. Sed quia Metaphysica ex indole sua a forma Cognitionum praescindens materiam tantum earumdem inqui-

rit, et determinat; hic illas tantum species cognitionum adducemus, quae *respectu Materiae* distingui solent. Distinguuntur vero cognitiones *ratione materiae:*

1-mo. In *theoreticas*, et *practicas*. Cognitiones *theoreticae* sunt, quae, quid sit, vel fiat, *practicae*, vero, quae, quid fieri possit, aut debeat, determinant; e. g. *Cognitiones hae: „existit Deus," „Cajus est probus," sunt theoreticae; istae vero: „Deus est colendus," „Cajus est laudandus," practicae sunt.*

2-do. Ambae vel *vulgares* sunt, vel *eruditae. Vulgares* sunt, quibus solum quid sit, vel fiat, aut fieri possit vel debeat, noscimus, quin horum rationes perspiciamus; unde etiam *late historicae* dicuntur: *eruditae* vero sunt, quibus etiam rationes perspicimus, cur quidpiam sit, vel fiat, aut esse, fierive possit, aut debeat; unde etiam *rationatae*, *solidae*, vel *latae philosophiae* appellantur; e. g. *Cognitiones vulgares habet puer, et rudis: eruditas vero homo doctus, et scientiis imbutus.*

3-tio Vel sunt *empiricae*, vel *rationales. Cognitio empirica* est, cujus materiam sensus, *rationalis* vero, cujus materiam ratio suppeditat; e. g. *cognitio haec: lapis est gravis, empirica: ista autem anima humana est immortalis, rationalis cognitio est.*

4-to Cognitio empirica, quae etiam *a posteriori* dicitur, subdividitur in *primitivam*, et *derivativam*. Illa ex experientia *propria*, haec vero ex *aliena* tamquam fonte hauritur, et etiam *stricte historica* appellatur; *lato* enim *sensu* etiam cognitio rationalis, quatenus nobis tantum ex aliorum testimoniis constat, *historica* vocari solet. Cum autem experientia vel sit *interna* vel *externa*, cognitio quoque empirica abit in *in-*

terne, et *externe* empiricam, prout quidpiam medio sensus interni, vel externi cognoscitur; e. g. *Cognitione originario — empirica scio Agriae generosum rubrum vinum procreari*, *derivativa vero teneo Augustissimum Imperatorem Austriae anno* 1819. *festa Paschalia Romae transegisse; item Cognitione interne empirica scio me existere*, *quod vero corpora extra me existant*, *externa experientia cognosco.*

5-to Cognitio quoque *rationalis* varie subdividi solet. Nempe a) vel est *intellectualis*, vel *stricte rationalis. Cognitio intellectualis* est, quam intellectus ex praecedentibus experientiis vi sibi propria per abstractionem, reflexionem, comparationem et combinationem, mediate, seu concipiendo eruit; unde etiam *mediata*, *discursiva*, vel *immanens*, aut *transcendentalis* hodie appellatur; e. g. *quidquid existit*, *causam suam habere debet.* Cognitio vero *stricte rationalis* est, quam ratio, qua facultas cognoscendi suprema, excitata tantum per experientiam nisu necessario efformat; e. g. *existit Deus;* et quia cognitiones hujus generis, ratio e suo quasi fundo independenter ab experientia haurire videtur, etiam *cognitiones purae a priori* per nos vocantur: sed non sensu illo stricto Kantianorum, quo cognitiones rationales ab experientia penitus independentes statuuntur, atque ad solius experientiae objecta restringuntur; Cognitionibus enim nostris quibusvis etiam stricte rationalibus primam occasionem, voces, repraesentationes singulares, saepe etiam materiam, claritatem, et robur per experientiam conciliari ita, ut hoc sensu, non illo crasso Empiristarum possit dici: „*nihil esse in intellectu*, *quod non fuerat prius in sensu*“ deinceps evincemus: ad limites autem solius experientiae cognitiones rationales non restringi, vel

iis, quae de *possibilitate Metaphysicae* in praeliminaribus §. IX. diximus, satis probatum est. b) Vel est *Philosophica*, vel *Mathematica*. *Cognitio Philosophica* est, quae ex conceptibus, et ideis sricte dictis, *Mathematica* vero quae ex intuitibus ratiocinando eruitur; ideo hanc iterum relate ad priorem, quam *discursivam* vocant, solent appellare recentiores *intuitivam*, quamquam proprie cognitiones empiricae, et immediate per sensus acquisitae possint dici *intuitivae;* e. g. *mathematice cognosco, omnes angulos in triangulo aequari duobus rectis, philosophice vero, Deum existere.* Qua philosophi igitur, imprimis quid, et quare tale sit quidpiam, qua Mathematici vero, quota, aut quanta sit res, cognoscere volumus.

Propositiones.

1-ma. *Cognitiones objective rationales simul subjective quoque rationales esse possunt.*

Nam Cognitio *objective rationalis* illa dicitur, cujus fons ratio est, *subjective* autem *rationalis* illa est, quae *rationaliter*, id est ex principiis agnoscitur: sed possibile est, et per saepe accidit, ut cognitio cujus fons ratio est, simul etiam ex principiis suis nobis pateat; e. g. *cognitiones philosophicae;* possunt itaque cognitiones objective rationales simul et subjective rationales esse.

2-da. *Cognitiones objective rationales subjective historicae esse possunt.*

Tunc enim dicitur cognitio objective rationalis *subjective historica*, dum sine omni rationis

usu assumitur: sed hoc frequenter fieri quotidiana docet experientia; igitur cognitiones objective rationales, subjective historicae esse possunt; *Philosophia e. g. sine dubio cognitio objective rationalis est: discat tamen ejus placita juvenis de memoria, et quin sua ratione utatur, assumat illa unice ob auctoris, aut magistri auctoritatem (prout hoc in scholis communiter fieri solet), Philosophia apud juvenem cognitio subjective historica erit.*

3-a Cognitiones empiricae a rationalibus sedulo quidem distinguendae; nunquam tamen penitus separandae sunt.

1-mo Nota characteristica cognitionis rationalis in eo consistit, quod ipsa cognitio *ex principiis*, adeoque *universalis*, et *necessaria* sit: Cognitio vero empirica non est cognitio ex principiis, sed *ex factis;* et quia experientia quantaecumque nec *universaliter*, nec *necessario absolute* potest quidpiam docere, sed tantùm *contingenter*, *particulariter*, aut ad summum *comparative universaliter* et *hypothetice necessario* (sicut inferius dicetur), ideo cognitio empirica nec est *universalis*, et *necessaria*, sed tantum *contingens*, *singularis*, *particularis*, aut *generalis;* e. g. *lapidem sursum projectum, ferri deorsum empirice, omnem vero lapidem vi gravitatis suae necessario ruere deorsum, rationaliter cognosco.*

2-o Sensuum, et rationis objecta, et munera diversa esse, et prioribus res in facto positas, harumque empiricam similitudinem, connexionem, et ordinem, posteriore vero rerum universales, et necessarias proprietates, leges, causas, fines, et connexiones innotescere, jam vel ex hactenus

dictis satis constat; qui itaque cognitiones empiricas a rationalibus rite non distingueret, duarum diversarum facultatum, et functionum animae officia, et jura confundens per sensus intelligere, et per rationem intueri vellet: sed hoc absurdum est; igitur cognitiones empiricae a rationalibus sedulo sunt distinguendae. Ast nunquam penitus separandae. Quia

1-mo Omnes vires, et facultates animae humanae sunt intime connexae, in se mutuo influunt, et ad unum finem in communi collaborant; igitur quin periculose aberrent, a se penitus separari nequeunt: jam vero qui cognitiones empiricas a rationalibus sejungeret, is duas facultates animae sensum, et rationem periculose separaret: sicut enim perceptiones sensuum absque universalibus principiis rationis cognitiones empiricae proprie dictae evadere non possunt, frequentissimeque illudunt, nisi secundum illa ad objecta experientiae referantur, ita vice versa ratio sine perceptionibus sensuum principia sua universalia evolvere, et ad objecta rite applicare non potest, sed vel res mundosve mere ideales pariet, vel entia vere existentia in talia transformabit, qualia nec sunt, nec esse debent. *Cf. Frints Handbuch der Religionswissenschaft* 1. *Th.* 1. *B.* §§. 63. 64. 65.

2-do Nihil prodest facta, factorumque genera, ac fortuitas in spatio, et tempore conjunctiones noscere, nisi accedat cognitio virium, causarum, legum, finium, proprietatum, et connexionum necessariarum; neque poterit ratio suo causas investigandi officio accurate defungi, si non praecedat eorum, quae in natura empirica sunt, aut fiunt, debita cognitio.

3-tio Quamdiu mens humana sensibus sine intellectu et ratione utitur, res obversantes speculi

instar eo ordine sibi repraesentat, quo simul, vel successive ejus sensibus se se offerunt; ast quid earum singulae sint, ad quod genus pertineant, cur hoc, non alio loco, et tempore existant, quibus viribus praeditae ad quos fines ordinatae, quibus causis, legibusque subjectae sint, haec omnia non nisi rationis vi erui possunt. Experientia, hujusque vicaria historia hoc tantum indicant, quid in genere humano aut natura tulerit, et fecerit, aut voluntas libera gesserit, quibus in adjunctis quae evenerint, aut gesta sint, an profuerint, vel nocuerint; verum an necessario profuerint, vel nocuerint; an jure, an ex officii reverentia, vel aliter gesta sint, hoc tantum ratio potest detegere, et evincere. Ergo Cognitiones empiricae et rationales a se penitus separandae nunquam sunt.

4-ta *Cognitiones theoreticae cum practicis intime connectuntur*, *et vice versa.*

1-mo. Multae dantur veritates tam empiricae quam rationales, quas ratio theoretica sibi relicta aut difficulter, aut cum periculo erroris potest cognoscere; in hoc igitur casu, ne periculose decipiamur, rationi theoreticae practica debet succurrere, et illam in speculando ita adjuvare, sicut experientia adjuvat rationem.

2-do Cuilibet cognitioni theoreticae, ne *mere speculativa*, seu inanis, et sterilis sit, debet aliqua practica respondere; eadem enim necessitate, qua ad cognoscendum, quid sit, vel fiat, mens humana urgetur, etiam ad inquirendum, quid huic suae cognitioni conformiter fieri possit, aut debeat, impellitur: et quia ratio sibi ipsi contradicere nequit; nulla vera cognitio theoretica potest etiam contradicere evidenti, aut sufficienter demonstratae cognitioni practicae, quod si igi-

tur ratio theoretica talem quampiam cognitionem putaret se detexisse, cui aut nulla cognitio practica respondet, aut cum notis jam veritatibus practicis pugnat, per rationem practicam erroris sui, inanisque speculationis admoneri debet.

3-tio. Saepe ratio theoretica potest quidem conceptum cujuspiam entis ipsa sibi efformare, imo existentiam quoque ejusdem, et quaepiam praedicata cognoscere, et per experientiam adjuta, veritatem harum suarum cognitionum demonstrare; sed plene et ita adaequate, ut nulli sano dubio locus relinquatur, eadem absque ratione practica praestare non valet. Casus hic praeprimis occurrit in cognitione objectorum sensus transcendentium, quorum nullus intuitus, nulla cognitio empirica nobis suppetit. Hic igitur rationi theoreticae debet succurrere ratio practica, realitatemque illius cognitionum comprobare, ostendendo: cognitiones illas tales esse, sine quarum veritate lex moralis non subsisteret, et homo finem suum ultimum assequi non posset; cum enim ratio imperet homini assecutionem finis sui ultimi, haec impossibilis esse non potest, quin ratio impossibilia praecipiens ipsa se destruat; igitur etiam cognitio talis theoretica, sine qua assecutio finis nostri ultimi impossibilis foret, vera esse debet, licet ratio theoretica sola ejusdem veritatem sufficienter probare non valeat. Igitur ratio practica rationi theoreticae semper debet opitulari, sed si sic, cognitiones theoreticae cum practicis intime connectuntur. Sed et vice versa.

Quia 1-mo Ratio practica id debet docere, quod ens quodvis liberum ad obtinendum suum finem agere debet, ut sic hoc sit, quod vi naturae suae esse debet: jam vero istud nunquam posset praestare, nisi prius existentia, vires, pro-

prietates, relationesque entium per rationem theoreticam innotescerent; e. g. *priusquam noscamus erga quempiam gratitudine nos obstringi, hujus existentia, beneficiaque in nos collata nota esse debent*; *priusquam sciamus parentum et filiorum reciproca officia dari, constare debet genus humanum per generationem propagari; priusquam religio, cultusque veri Dei praecipiatur, notio Numinis supremi, existentia, relationesque ad mundum doceri debent*,, idem dicendum est etiam de aliis veritatibus practicis; igitur ratio practica rationi theoreticae ita intime jungitur, ut sine hac aut aliud, aut aliter, aut aliis, quam deberet, imperaret, sicque ratio esse desineret; consequenter etiam functiones hujus cum illius, id est, cognitiones practicae cum theoreticis intime connectuntur.

2-do. Saepe ratio practica talia ab homine postulat, quae sensualitati ejusdem e diametro opponuntur; igitur vel postulata illa, tamquam naturae hominis non accomodata, cum dispendio moralitatis in perpetuum releganda erunt, vel per rationem theoreticam veritas, fundamentum, applicabilitasque eorundem probari debet: primum abhorret a natura hominis rationali, hominemque brutis assimilat; tenendum igitur est alterum, seu quod ratio theoretica etiam in hoc casu debeat succurrere rationi practicae, cum hacque arctissime connecti.

3-tio Sicut cuilibet cognitioni theoreticae, ne sterilis sit, cognitionem quampiam practicam respondere debere antea probavimus, ita cognitioni practicae cuivis theoretica respondere debet; praxis enim est tantum applicatio theoriae, et resultatum; hinc si in principiis theoreticis error interveniat, in principiis quoque practicis, qua illorum applicatione, et resultato idem continge-

re debet; sicut re ipsa contigisse, et contingere tristis antiquorum, et nostrorum temporum historia testatur; unde enim v. g. provenerunt ridiculae illae, extravagantes, indignaeque in cultu Divino ceremoniae idolatrarum? unde querelae, copiosaeque lachrymae sorte afflictorum? unde sacrificia scelesta, oracula, auguriaque vana gentilium, unde in ordinati esus, potus, veneris usus, aliaeque crassae, aut subtilioris autochiriae species hodiedum adhuc dominantes, unde denique inhumanae, crudelesque tractationes puerorum deformium, senum morbis confectorum, hostium intermium cum mancipatu servorum explicari possunt propius? quam ex tenui, aut erronea cognitione naturae Dei, hominis, mundi horumque proprietatum, et relationum minus accurata notione; postquam vitia haec etiam hodie tibi frequentissima observantur, ubi cognitiones theoreticae de dictis objectis aut tenues, aut erroneae sunt. Igitur ut errores pactici feliciter evitari queant, rationi practicae theoretica sucourrere, et cognitiones practicae in theoreticis fundari debent; atque hinc consequitur etiam cognitiones practicas cum theoreticis intime cohaerere.

Solutio Objectionum.

1. Ideo, quod inter cognitiones theoreticas et practicas intimam connexionem, eamque reciprocam statuamus, circulum vitiosum non committimus; nam a) certum est, quod vires connexae se se mutuo modificent, et in se reciproce agant, quin inde aliqua contradictio oriatur, sic agit intellectus in memoriam hanc inconservandis repraesentationibus rerum adjuvando, et memoria reagit in intellectum, hunc per retentas repraesentationes

in suis operationibus promovendo. b) Cognitiones theoreticae, et practicae non se firmant mutuo eodem modo, sed diverso, nempe: ratio theoretica jam vel ex experientia egressa, multa cognoscit de mundo sensibili secundum sua universalia principia cum sufficiente certitudine; ex his dein cognitionibus theoreticis deducuntur cognitiones practicae, seu regulae aeque certae, quae praemuniunt quidem rationem theoreticam adversus errores, sed non quatenus ex illius cognitionibus sunt deductae, sed in quantum illa novas cognitiones theoreticas quaerit cognitis his regulis practicis consentientes: benefico hoc auxilio rationis practicae tunc praeprimis indiget ratio theoretica, cum res sensus transcendentes, veritatesque aliquas abstrusiores cognoscere studet, quo in casu (ut vidimus) sibi relicta facillime aberrare potest.

2-do. Licet cognitiones practicae fundentur in theoreticis, valet tamen conclusio ex innegabili quapiam theoreticae, id est, cognitiones theoreticae etiam *argumento practico*, seu *morali* rite demonstrantur; nam ratio, theoretica multas veritates ex se non tantum indicare, sed etiam stricte demonstrare potest, ex his deinde deducit ratio practica immediate consentientes regulas practicas ejusdem certitudinis: sed dantur praeterea quaepiam cognitiones, et veritates, quas sola ratio theoretica absque practica sufficienter demonstrare non potest, quae tamen in rationem practicam necessarium influxum habent, quatenus sine ipsis nec stabilitae jam regulae practicae subsisterent, aut in usum converti possent, quod cum propter apertum praeceptum rationis practicae fieri non possit; ratio practica nanciscitur jus, has e principiis rationis theoreticae plene non probabiles, sed pro suis necessitatibus absolute necessarias veritates postulandi. Sus proinde constat valor argumento etiam practico, etsi ratio practica in theoretica fundetur.

3-tio. Cognitiones summi momenti de *existentia Dei*, *libertate*, et *immortalitate animae* fatemur quidem e principiis solius rationis theoreticae *plene* probari non posse, sed in hunc finem et rationem practicam concurrere debere, sicque etiam *Postulata rationis practicae* posse appellari: ast non sensu Kantiano; etsi enim veritatem dictarum cognitionum sola ratio theoretica plena cum sufficientia demonstrare nequeat, nisi etiam practica accedat, minime sequitur, illas penitus indemonstrabiles, *problematicasque* solum nobis esse: nam a) vel ex iis jam, quae de possibilitate Methaphysicae supra diximus, et magis adhuc ex iis,quae deinceps in Psychologia, et Theologia dicemus, apparet etiam e ratione theoretica pro illis veritatibus convincentia argumenta suppetere; b) istud veritatem nostri asserti probat, seu, quod cognitiones theoreticae et practicae in intimo nexu sint, et quod ipsae sine periculo erroris in usu ab invicem separari non possint cum altera connectitur, et in hac connexione agere debet, suas operationes rite perficiat, si ex naturali illa connexione eximatur. Non est igitur vitium rationis, si ipsa id praestare non possit, quod debuerat, sed vitium arbitrariae, et non fundatae saeparationis.

4-to. Quod homo non semper agat conformiter suis principiis seu theoreticis, seu practicis, non hoc arguit, quasi etiam penes falsas cognitiones theoreticas veras regulas practicas cognoscere, sequique posset; sed tantum hoc quod qua ens sensuale, et una liberum possit leges rationis observare, vel non observare, et si bonum sensualitati ejus displiceat, malum vero arrideat, illo neglecto, istud eligere; e. g. licet quis rite cognoscat, finem hominis in virtute, huicque proportionata felicitate consistere, quod tamen non obstante hac sua theoretica cognitione a moralitate recedens, sensualitati allicienti litare possit, est communis, et facile comprehensibilis inconsequentia: ast si quis errore

theoretico seductus pro fine hominis ultimo solam voluptatem sensualem assumeret, et tamen sensualitatem in hac hypothesi etiam per rationem theoreticam, etsi erronee, una cum suis incitamentis approbatam, in gratiam virtutis abnegaret, hoc penitus inconceptibile, impossibileque fore et res ipsa, et historiae satis loquuntur. Cf. *Friits Handbuch der Religionswissenschaften* 1. *Th.* 1. *B.* §. 106.

5-to. Cognitiones empiricas, et rationales a se penitus numquam separandas, et theoreticas cum practicis reciproce connectendas esse asserendo, limites scientiarum minime confundimus, sed tantum periculosis sequelis Empirismi, puri Rationalismi, Idealismi, Formalismi, Eudaemonismi, Purismi etc. jam vel hic paucis occurrere voluimus. Sua esse munera et officia experientiae, sua etiam rationi, alia esse objecta cognitionum theoreticarum, alia practicarum satis exposuimus, et sic una limites scientiarum empiricarum et rationalium, theoreticarum, et practicarum saltem implicite assignavimus.

Corollarium.

1. E notione cognitionum *empiricarum* et *rationalium* apparet; ad illas pertinere non tantum cognitiones *singulares*, sed etiam illas, quae ex his tamquam totidem datis particularibus experientiae immediate fluunt, et colliguntur, etsi *comparative universales*, et *hypothetice necessariae* sint; per has enim singularibus illis cognitionibus nihil novi accedit, sed ex illis ceu partibus compositae, partium harum quasi summae existunt, summa autem, seu compositio partium sequitur naturam singularum partium, ut per se notum est. E. g. *etiam cognito haec: omne corpus gravitat versus centrum telluris, quamvis universalis videatur, est tamen,*

et manet empirica, in tantum quippe habetur pro vera, in quantum omni hucusque instituta experientia eam comprobari compertum est: cognitionibus vero *rationalibus* annumerandae sunt omnes neccessariae, evidentes universales, fudamentalesque cognitiones; seu principia, atque ex his conclusione legitima deductae assertiones, non tantum ad objecta experientiae (ut Kantiani volunt) sed etiam hanc transcendentia pertinentes.

b) Ex iis, quae ad propositionem 3, et 4 diximus, nova ratione elucet veritas eorum, quae pro posssibilitate Metaphysicae in Introductione adtulimus; si enim experientiae a ratione penitus nunquam separanda est, nec a cognitione vel ipsorum objectorum transcendentalium esomnino excludenda, sed rationi ut comes, testis, custos, que adjungenda: et si cognitiones theoreticae ac practicae inter se intime connectuntur, *postulata rationis practicae* etiam in principiis rationis theoreticae fundari debent, illa autem postulata sunt praecipua objecta Metaphysicae.

S c h o l i o n.

a) Cognitiones empiricae appellantur quidem *stricte a posteriori*: sed qnia voce *posterius* non tantum eorum, quae (sub sensus cadunt, cognitiones, sed etiam eorum, quae a sensibus plane remota, quae tamen objecta experientiae velut sua *correlata* arguunt denotari, et etymologia innuit, et usus loquendi probabilis satis corfirmat; ideo nomenclationem hanc ad cognitiones etiam quaspiam metaphysicas, etsi rationales in sensu latiori extendi posse, non inficiamur.

b) A Cognitionibus *rationalibus* distingnuntur cognitiones *rationabiles*; tales enim sunt omnes cognitiones legibus cogitandi non adversae, sen deinde ex ratione, seu ex experientia, aut auctoritate Divina vel humana deducantur.

§. VI.

§. VI.

Gradus Cognitionis.

Cognitionum humanarum septem solent numerari gradus, nempe: *sentire*, *percipere*, *noscere*, *cognoscere*, *intelligere*, *perspicere*, *comprehendere*.

Sentimus: dum obscuram sensationem habemus de eo, quod status noster mutetur, quin sciamus quid nobis repraesentemus. — Gradum hunc primum cognitionis habent proles recens natae, dormitantes, primum evigilantes, et admodum senes.

Percipimus: cum quidpiam cum conscientia nobis repraesentamus, id est dum objectum repraesentatum a subjecto repraesentante, seu anima nostra distinguimus, quod adhuc in priori casu non obtinuit. — Annus fere labitur, donec infans hunc gradum cognitionis attingat, tuncque sumit exordium, dum puer per *ego* seu in prima persona loqui incipit.

Noscimus: dum anima se non tantum ab objectis repraesentatis, sed ipsa haec ab invicem per diversitatem, aut indentitatem repraesentationum suarum distinguit, quod tantum per comparationem, reflexionem, abstractionem combinationemque fieri potest. — Gradum hunc assequitur homo, cum repraesentationes abstractas (conceptus, notiones) e. g. *virtutis*, *eruditionis*, *felicitatis*, *infelicitatii etc.* efformare novit.

Cognoscimus: cum anima se ipsam contemplatur, ad se qua objectum reflectit, scitque se subjectum esse cognitionum, et quarumvis modificationum suarum, et quidem perdurabile, unum, idemque; proinde gradus hic longe altior est, ac prior.

Intelligimus: dum quidpiam non per sensus intuemur, sed ope intellectus concipimus, et non superficiem, sed ipsam internam objectorum constitutionem, nexumque cognoscendo attingimus.

Perspicimus: cum ope rationis aliquid cognoscimus, conceptus analytice, et synthetice claros tenemus, et omne, quod scimus, ita scimus, ut omnes nobis pateant rationes, relationesque. — Gradum hunc cognitionis in paucis potest homo perfecte assequi, propter limites a natura sibi positos; sed plerumque accessus major, vel minor ad eum ipsi conceditur. Denique

Comprehendimus: seu comprehenderemus in sensu stricto tunc, si ipsas essentias rerum reales penitus nosceremus; sed quia haec sors hominis non est, dici nequit, quod aliquid *in sensu stricto* comprehendamus. Omnis nostra comprehensio *relativa* tantum est, id est: comprehendimus res secundum leges cogitandi, et cognoscendi, scimusque, quid illae *respectu nostri* sint, non autem quid *in se*, *absolute* sint: sic enim *absolute*, et in sensu stricto solus Deus comprehendit, sicut haec inferius suis locis probabimus.

CAPUT SECUNDUM

de

Principiis Cognitionum Ultimis.

§. V.

Notio, Divisio, et Necessitas Principiorum talium.

Principia ultima cognitionum sunt fundamenta illa, et cognitiones primae, immediate et per se certae, quibus tamquam totidem supremis conditionibus, omnium eorum, quae universim ab homine cognoscuntur, aut cognosci possunt, veritas postremo innititur.

Principia haec vel sunt *realia* vel *idealia*. *Principium reale* est conditio fundamentalis omnis cognitionis, seu illud, per qnod omnis cognitio primum possibilis evadit: unde etiam *Principium essendi cognitionis* appellatur. *Principia* vero *idealia* sunt, per quae cognitionis cujusdam determinatae ex alia cognitione deductio possibilis fit, quae proinde totidem conditiones sunt cognitionum sibi co-aut sub-ordinatarum, seu *scientificarum;* unde vocantur etiam *Principia cognoscendi*, sunt quippe repraesentationes, et cogitationes, quas verbis signare, et ut propositiones enunciare licet: ubi e contrario Principium reale non est propositio (etsi possit propo-

sitione et ipsum significari, characterisarique) sed fundamentum cognitionis omnis, adeoque etiam illius, quae ut principium aliis cognitionibus deducendis inservit, ita, ut Principia idealia debeant considerari, ceu totidem *producta* Principii realis, et ab hoc qua *producente* essentialiter distinguantur. Ut adeo jam vel ex hoc respectu irritus appareat eorum conatus, qui Cognitiones cujusvis generis ad unum idemque principium reducere volunt.

Principia *idealia* subdividuntur in *formalia* et *materialia*. — *Principia materialia* sunt, quae materiam omnium cognitionum universim determinant: *formalia* vero sunt, quae cognitionibus *formam scientificam* impertiuntur; unde illa etiam *Constitutiva*, haec vero *regulativa* appellantur. — Utraque rursus in *primitiva* et *derivativa* abeunt. — Illa sunt, e quibus omnes cognitiones deduci, aut ad quae reduci possunt; ipsa vero a nullo alio se altiore principio derivantur: haec autem sunt, quae ex illis deducta singularium scientiarum, aut cognitionum fundamentum existunt, et pro multitudine, ac diversitate illarum ipsa quoque multa diversaque sunt, ita, ut quaelibet scientia Principia sibi propria, et inter haec unum supremum, cum reliqua, ut minora, subordinantur, habeat.

Propositio.

Necesse est assumere Principia quaedam absolute ultima Cognitionum.

Nam ratio humana natura sua tendit ad *absolutum;* sicut enim Causam absolutam, et ultimam omnis existentiae reddere sibi conatur, ita

in quibuscunque suis cognitionibus eousque non conquiescit, donec ad tales deveniat, quibus tamquam totidem fundamenti et basibus postremo secure inniti possit: jam vero nisi principia quaepiam absolute ultima cognitionis omnis assumantur, tendentiae huic, et nisui naturali rationis nunquam satisfiet; quantamcunque enim nectamus seriem cognitionum, quantumvis ab una cognitione provocemus ad aliam tamquam illius fundamentum, et principium, semper *Petitiones principii* committemus, et quavis cognitio pro alterius principio assumta. erit tantum *relativum* principium altiori adhuc subordinandum. Adeoque vel dicendum est: naturam nostram rationalem in cognoscendo ad absolutum impossibile tendentem sibi ipsi contradicere, vel naturam cognitionum nostrarum essentialemque constitutionem subjecti cognoscentis humani regressum, aut progressum in infinitum exigere, quin unquam ad ultimum deveniatur, vel denique debere esse quaepiam talia, quibus in cognoscendo tamquam fundamentis absolule ultimis initi secure possimus: primum abhorret a natura rationis, ipsamque annihilat, alterum demonstrari nequit, cum demonstratio quaevis e notione sua principium praerequirat, cui postremo innitatur; ergo dicendum est tertium, id est: necesse est assumere Principia quaedam absolute ultima cognitionum.

Necessitatatem hanc agnoverunt quovis tempore philosophi; inde enim ab origine prima Philosophiae systematicae semper quaerebatur: „*Cui Principio innitatur ultimo cognitionum humanarum veritas?*" id est, quidnam sit illud, ex quo, et per quod certi reddimur, quod repraesentationes nostrae non sint objectis vacuae ideae? quod subjectum, et objectum consentiant, quod

repraesentatio et repraesentatum inter se conveniant? — Quaestionis hujus solutio sub diversis formis omni tempore tentabatur; etsi contra quamvis solutionem novae semper difficultates, et dubia ad hodiernam usque diem proferantur, id quod ex Historia Philosophiae omnis aevi constat. Neque necessitatem hanc potest vel acerrimus Scepticus abnegare; cum et ipse philosophari volens, principii instar sumat, *de omni re dubitandum esse.* Itaque propositio haec: *dantur principia absolute ultima cognitionum*, merito *Postulatum necessarium rationis philosophantis* appellatur, quod a *postulatis Kantii* essentialiter distingui, vel me tacente, intelligitur.

§. VI.

Determinatio Principiorum absolute ultimorum omnis Cognitionis.

Licet e proxime dictis certum sit, existere debere quaepiam Principia absolute ultima cognitionum, non tamen aeque constat: *quae*, *aut quot sint talia Principia?* haec itaque maximi momenti quaestio, a cujus solutione certitudo omnis postremo pendet, hic jam expedienda est.

Propositiones.

1-ma. *Principium reale ultimum omnis cognitionis est anima nostra.*

Quia principium reale ultimum omnis cognitionis est id, a quo tamquam architecto cognitio quaevis efficitur, et cui tamquam subjecto cogni-

tio ut modificatio inhaeret: jam vero tale Principium est anima nostra.

Nam a) Cognitio in genere est repraesentationis ad objectum suum relatio; igitur illud recte statuitur pro conditione absolute ultima omnis cognitionis, quod relationem illam perficit; sed anima refert repraesentationes suas ad objecta; ergo illa est conditio absoluta possibilitatis omnis cognitionis; id est: subjectum cognoscens est principium reale ultimum cognitionum. b) Cognitiones quaevis, etiam illae, quae ad objecta externa relationem dicunt, animae tamquam suo fundo, et subjecto inhaerent, neque aliter, nisi qua producta animae cogitari possunt; igitur Principium reale ultimum omnis cognitionis est anima nostra.

Solutio Objectionum.

1-mo. Dum anima pro absolute ultimo, eoque unico reali principio omnis cognitionis ponitur, non est cogitandum: extra ipsam nihil *objectivi* superesse, omneque quod nobis repraesentamus, productum solius animae esse, ut ipsa sit semper et subjectum, et objectum Cognitionis; etsi enim hoc in cognitionibus interne empiricis, id est, dum anima se ipsam contemplatur, obtineat, non tamen perinde valet, dum ea, quae extra se sunt, cognoscere cupit, ut hoc sequenti Capite dicetur.

2-do. Anima qua supremum Principium reale cognitionis, quatenus ab altiori Principio qua conditione derivari nequit, cogitari quidem debet ut *Absolutum* quid, et *Inconditionatum*; sed non eo sensu, quasi ipsa se posuisset, et cetera quaevis per, aut propter ipsam posita essent, proinde quasi seu supra, seu penes illam nihil existeret, a quo quoad suam existentiam, et activitem dependeat, id est: quasi anima esset Principium re-

ale omnium rerum, quae cognoscuntur; aliud enim est *Principium essendi cognitionis*, aliud *Principium essendi rerum*, seu Causa efficiens omnium ultimâ.

2-da. ***Activitas animae nostrae est absolute ultimum Principium materiale omnis cognitionis.***

Principium enim materiale absolute ultimum, vel supremum illud recte dicitur, quod materiam omnis cognitionis, seu ipsum *scire* ultimo determinat: sed hoc efficit Activitas animae.

Nam ut cognitio aliqua oriatur, debet animae quidpiam *objici*, et ab ea in conscientiam assumi, id est inter *esse*, et *scire* connexio interna, et reciproca fieri; sed hoc efficitur per Activitatem animae; ergo Activitas animae nostrae est Principium materiale absolute ultimum omnis cognitionis.

Veritatem hic paucis assertam plus minusque omni tempore suspicabantur philosophi, atque saltem implicite in quibusvis suis inquisitionibus fundamenti instar sumebant; licet in illius enunciatiatione sequelisque ab invicem discrepaverint. Nam a) antiquiores pro *Fontibus* omnis cognitionis statuebant *Experientiam* et *Rationem*, *Criteria* autem omnis veritatis numerabant *Perspicuitatem*, *Communem naturae sensum*, *Testimonium sensuum externorum*, et *Auctoritatem* (quod et nos inferius faciemus): jam autem non includunt ne ista, saltem implicite, illam universalem Activitatem animae? aut non sunt ne haec totidem *Facta* universalia conscientiae nempe vis fundamentalis, et originariae animae? vel possumne aliquid seu ex ratione, seu per experientiam propriam, vel alienam cognoscere, quin

anima mea aliquo modo *agat*, et data illarum in conscientiam suam assumat? igitur conscientia tamquam Activitas animae originaria est unicum medium omnis cognitionis, et unicus absolutus fons, ex quo non tantum philosophus, sed quiscunque etiam alter materialia suarum cognitionum universim haurit, et haurire potest. b) *Cartesius*, dum Philosophiae suae illud praefixit, *cogito; ergo sum*, per *cogito* non aliud voluit exprimere, quam aliquid immediate evidens, et factum quodpiam universale conscientiae humanae a nemine impugnabile; unde enim scimus, nos *cogitare* aut *velle*, *sentire*, aut *appetere* etc., nisi inde, quod nobis harum activitatum nostrarum conscii simus, ut primum aliquo horum modo agimus, et ad nosmetipsos reflectimus. c) *Kantius*, etsi neget dari principium quodpiam universale veritatis materialis, tamen dum initio suae *Criticae rationis purae* de repraesentationibus, harumque ad objecta relationibus loquitur, quid aliud respondisset quaerenti: *unde scis te aliquid tibi repraesentare?* nisi istud „*per meam conscientiam*" d) *Reinhold* in sua *Elementari Philosophia* fundamentum Philosophiae directe in conscientia quaerit, et hac formula exprimit: „*in conscientia, et per conscientiam distinguit anima mea repraesentationem a semet ipsa, et ab objecto, et refert eam ad semet ipsam et ad objectum*" licet in eo aberraverit, quod putaverit omnem Philosophiam unico principio superstrui, quin innueret, quale hoc sit, utrum reale, ideale, materiale, vel formale? et quod formulam suam inadaequate conceperit, sicut hoc *Schulze* in suo *Aenesidemo* satis demonstrat. e) Idem fere accidit etiam *Schellingio*, qui etsi Principium aliquod absolute primum dari contenderet; asserit tamen, Principium hoc ita unicum

esse debere, ut ipsi quaevis cognitiones quasi nuci includantur, indeque deduci possint, ut systema quoddam constituant. Hinc f) etiam ipse *Fichse*, qui conscientiam ipsam definire, demonstrareque nititur, in hunc finem praeviae ad *factum conscientiae* provocat, et mediante hoc conatur demonstrationem suam nectere; non estne hoc *in circulo versari*, et verbis abnegando, re veritatem nostri asserti confirmare?

Quia vero Activitas animae nostrae (sicut ex illis, quae in Logica diximus, et uberius adhuc ex iis, quae in Anthropologia dicemus, patet) est multiplex, et sic etiam *facta conscientiae* varia sunt, et multiplicia; e. g. *ego intueor hanc imaginem; ego sentio hunc dolorem; ego formo hunc conceptum;* etc. hinc etiam Principia materialia cognitionum varia, et multiplicia esse possunt; quodlibet enim factum conscientiae conceptui subjectum, et verbis expressum, in quantum plura alia facta *singularia* sub se continens quidpiam his commune, et immediate evidens universaliter enunciat, unum tale Principium suppeditabit, ita ut propositiones hae: ego sentio, ego cogito, ego volo, etc. qua totidem Principia materialia cognitionum considerari possint, ac debeant, atque hoc sensu verum sit, omnes cognitiones, respiciendo materiam ex uno eodemque Principio deduci non posse, verum quot sunt genera cognitionum, ex totidem Principiis materialibus *relative ultimis* eadem derivari.

Ast, quia omnes illae multiplices activitates animae ex una fundamentali originariaque vi, nempe conscientia derivantur, et quia etiam facta illa universalia conscientiae, quae ut diversa Principia materialia cognitionum existunt, ad unam propositionem reduci possunt, quae factum illud universalissimum conscientiae exprimat, quod in

omnibus quidem factis aliis jam includitur, ipsum tamen reliqua facta conscientiae *in se*, non, sed *sub se* contineat; hinc quia *Activitas* quibusvis aliis factis conscientiae humanae generatim includitur, propositio hoec: „*anima nostra est activa*“, pro Principio materiali cognitionum absolute ultimo recte statuitur. — Etenim

Illa propositio recte statuitur pro absolute ultimo materiali Principio omnis cognitionis, quae *characteribus necessariis* talis Principii gaudet, sed propositio ista: „*anima nostra est activa*,“ characteribus illis gaudet.

Ex consensu enim omnium philosophorum, characteres necessarii absolute primi Principii materialis cognitionum sunt: a) debet esse propositio *materialis*, b) *absolute prima*, et nulli alteri subordinata, c) *universalis* ita ut ex ipsa omnes aliae cognitiones cum suis relativis Principiis commodae deduci possint, d) *evidens*, et sola prima reflexione notissima, e) *indemonstrabilis*; sed propositio haec: „*anima nostra est activa*,“ his characteribus est instructa.

Est a) *materialis;* enunciat enim, quod aliquid sit; b) est *absolute prima*, nullique altiori subordinata, exprimit namque tale factum, quod in quibusvis aliis factis conscientiae reperitur, et praeter quod nullum aliud factum in mente praecedens existit, nisi sola anima: jam vero anima non est factum, sed factorum conscientiae auctor, nec est propositio fundamentalis, seu Principium ideale, sed, (ut vidimus) Principium reale unicum omnis cognitionis; igitur nullum altius cognoscendi Principium datur propositione nostra. c) Est *universalis;* sola enim abstractione a singularibus, et diversis, ac reflexione ad illa, quae omnibus reliquis factis conscientiae, activitatibusque

aliis animae insunt, opus est, ut propositiones aliae sub nostra hac propositione jam implicite contentae, explicite cogitentur, et inde deducantur, nam dum universaliter ajo: „*anima mea est activa*“ implicite hoc volo dicere: „*anima mea intuendo, sentiendo, cogitando, volendo etc. est activa*“ et dum conscius mihi sum alicujus determinatae activitatis animae, e. g. *cogitationis*, conscius una sum activitatis animae in genere, hanc enim illa jam includit, et huic tamquam species generi subordinatur. d) Est *evidens*, et quidem sola prima reflexione, seu *immediate;* nihil enim potest immediatius esse homini evidens, quam illud, cujus omni momento sibi conscius est: jam vero activitatis animae nostrae omni momento ipsi nobis conscii sumus, neque fieri potest, nt quis id, quod conscientia immediate testatur, penitus non perspiciat; nisi sibi et conscius sit, et non, quod absurdum est. Denique e) est *indemonstrabilis;* etenim illud, quod per se evidens est, demonstrari non debet, et quo superius principium non datur, nec demonstrari potest; jam vero propositio nostra, ex mox dictis, est per se evidens. et omnium materialium propositionum absolute prima. Sane, si quis omnia facta conscientiae simpliciter abnegaret, affirmaretque, se, e. g. dum quispiam ei adstat, nihil videre, audire, aut cogitare, tamquam homo, cui non est sanum sinciput, negligendus, et sibi relinquendus foret; nam *contra principia negantem disputari non potest.* Igitur, cum propositio haec: anima nostra est activa, omnibus necessariis characteribus primi Principii materialis gaudeat, absolute ultimum materiale Principium cognitionum rite enunciat.

Solutio Objectionum.

1. Propositio haec: *anima nostra est activa* eatenus agit absolute ultimum Principium materiale omnis cognitionis, quatenus ei omnes reliquae propositiones subordinari possunt, ipsaque quibusvis aliis includitur; non autem eo sensu, quasi illa omnes reliquas in se contineret, in activitate enim animae universim sumta haec, aut alia determinata activitas non continetur, etsi jam quaevis determinata activitas activitatis in genere characterem contineat.

2. Quemadmodum ad hoc pervidendum, utrum judicium aliquod sit *judicium communis naturae sensus*, non est necesse omnium hominum naturas singillatim examinare; sed sufficit scire, quosvis alios homines eadem natura rationali gaudere, qua nos (ut inferius dicetur): ita neque ad hoc perspiendum, utrum alii in suis conscientiis idem deprehendant, aut deprehendere velint, quod ego in mea invenio, non opus est interna singulorum hominum scrutari, quod solius Dei est; sed satis est, si constet, alios quoque eadem anima, qua me, iisdemque originariis viribus, et activitatibus a natura instructos esse; sic quippe innotescit, omnes nos, qua subjecta cogitantia, et cognoscentia in factis originariis conscientiae consentire, animasque omnium secundum easdem leges fundamentales operari.

3. Etsi Facta conscientiae, quae cognitionibus nostris qua immediate evidentes propositionis fundamenti instar inserviunt, multiplicia, diversa que esse possint, realis tamen inter ipsa intercedit connexio, quatenus omnia ab uno, eodemque reali Principio pendent, et unius, ejusdemque fundamentalis conscientiae facta exprimunt. Hanc realem connexionem enunciat Principium supremum materiale „*anima nostra est activa*“ qua-

tenus istud ad unicum reale Principium activitatis relegat; nihil proinde timendum est unitati, et *harmoniae* cognitionum humanarum, etsi hae pluribus diversis Principiis materialibus innitantur; adest enim jam inter ipsas harmonia *ratione materiae* vi illius connexionis realis, *ratione* autem *formae* eadem per *Principia formalia* efficitur. —— Quorum absoluta primum est.

Harmonia absoluta omnium activitatum animae.

Quia Principium supremum formale omnium cognitionum est illud, quod *modum sciendi*, seu formam systematicam cognitionum postremo determinat: sed hoc efficitur per Harmoniam absolutam omnium activitatum animae.

Ut namque facta multiplicia, et diversa conscientiae nostrae, tamquam totidem materialia cognitionis omnis, unum aliquod totum, seu systema scientificum constituant, debent illa, penes quamcunque diversitatem suam secundum quampiam legem supremam in ipsa originaria indole animae nostrae fundatam ad certam uniformitatem, et regulam redigi, ordinarique, igitur lex quaepiam suprema in originaria determinatione naturae nostrae fundata erit supremum Principium formale omnium cognitionum: sed lex illa suprema est Harmonia absoluta omnium activitatum animae.

Quilibet enim nostrum natura sua plus minusve eo tendit, ut animae suae multiplices activitates noscens, cognoscat una, utrum, et in quantum activitates illae inter se consentiant, aut consentire possint, id est: omnis homo vel modice jam cultus, qua ens rationale eadem sua natura, qua *verum*, et *bonum* amat, fertur una ad inquirendum, num et in quantum omnes ejus activitates seu theoreticae, seu practicae cogitatio-

nes, et cognitiones, volitiones et actiones inter se universim uniantur, aut uniri possint; etenim si dissentiant activitates nostrae, ac secum ipsis pugnent, dejicimur animo, inquieti sumus, et verum omne ac bonum, solo nomine remanente a nobis disparebunt. Universalem proinde unionem, et consensionem activatum animae omnes quaerimus, et ad ipsum, ut finem ultimum natura nostra rationali tendimus, aut saltem tendere deberemus: jam vero unio haec universalis, et consensio ***Harmonia absoluta*** vocatur; igitur Harmonia absoluta omnium activitatum animae est Principium formale absolute primum omnis cognitionis. Hinc est

Quod Philosophi leges universales et necessarias activitatis animae humanae in ipsa hujus natura fundatas omni tempore quaesiverint, hisque tamquam totidem Principiis ad multiplices suas cognitiones in unitatem systematicam connectendas usi sint, ut probat historia Philosophiae. Ast formalia haec Principia jam sic, jam aliter determinaverunt, prout nempe e diversis factis conscientiae, qua Principiis materialibus egrediebantur. Ideo leges illas diversis formulis investiverunt, quae jam re, jam verbis tantum a se discrepabant; ita e. g. notum illud ***Principuim contradictionis***, quod ceu supremam legem cogitandi in Logica proposuimus, aut sic dictum Principium ***moralitatis***, quod in Philosophia practica supremam legem voluntatis statuemus, quid aliud sunt, quam totidem Principia, ope quorum cognitiones nostrae diversae ***logicae***, aut ***morales*** ad unitatem scientificam reducuntur? et quomodo haec potuissent inveniri, nisi reflectendo ad facta conscientiae, quae se in cogitando et volendo absolute insinuant?—

Cum vero singulae activitates animae suis propriis legibus tamquam totidem regulis universalibus, et necessariis subsint, a quibus diversi modi omnis nostrae activitatis in genere pendent, et per quas omnia facta conscientiae inter se connectuntur: et hae leges iterum ad alias magis universales reducantur donec tandem in una lege suprema, universalissimaque una concentrentur: apparet Principia formalia pro diverso genere cognitionum divera esse, ita, ut quaevis scientiae sua propria determinata Principia habeant, et quia per quamlibet scientiam *Harmonia absoluta omnis activitatis animae* ex parte intenditur, ad hanc tamquam absolute supremum Principium formale, omnia alia relative suprema Principia quarumvis scientiarum ultimo reducantur.

Quod si jam leges universales in ipsa originaria indole animae fundatae, atque ad unam illam absolute supremam reductae verbis exprimantur, obtinebitur una propositio, qua absolute primum Principium formale omnium cognitionum rite significabitur. — Talis est sequens:

Anima nostra quaerit absolutam Harmoniam omnis suae activitatis.

Etenim illa propositione recte enunciatur Principium formale absolute primum omnium cognitionum, quae solam formam universalem omnis cognitionis exprimit, et animae nostrae tendentiam ad absolutam omnis activitatis suae Harmoniam significat: sed talis haec propositio est, „*anima nostra quaerit absolutam harmoniam omnis suae activitatis.*“ Nam

a) Propositio ista non enunciat, quod *aliquid sit*, sed *quomodo universim sit?* adeoque non attingit materiam cognitionum; sed tantum for-

formam in genere. b) Propositione hac id solum significatur, quod anima quidcunque operando ultimo Harmoniam absolutam omnis suae activitatis quaerat, et intendat; ergo propositione ista: „anima nostra quaerit absolutam Harmoniam omnis suae activitatis,“ absolute Primum Principium formale omnium cognitionum recte enunciatur.

Solutio Objectionum.

1. Principium formale absolute primum non praestat hunc usum, ut ex ipso qua fonte et radice omnes aliae cognitiones deducantur; sed ut ad ipsum quaevis aliae cognitiones velut commune centrum, et focum reducantur; illud enim est proprium Principiis reali, et materiali. Neque

2. Continet omnem rationem cognitionis absolute ultimam, sed tantum formae cognitionum, ita, ut si cognitionem in genere liceat *aedificio* assimilare, aedificii hujus *architectus* Principium reale, seu anima, *basis* Principium materiale: seu activitas animae, Principium denique formale *lapis angularis* sit: cetera vero his subordinata, et determinata Principia diversarum scientiarum, qua reliqua *materialia* aedificii, haecque connectendi *media* considerari possint. — Sicut igitur

3. Una, eademque res architectus, basis, et lapis angularis aedificii esse nequit: ita non potest unum idemque Principium cognitionis reale, materiale, formaleque esse. Attamen

4. Tria haec Principia absolute suprema cognitonum a se diversa, si quis unica propositione comprehensa exprimere velit, non reluctamur; dummodo huic propositioni realis, materialis, aut formalis Principii characte-

rem distincte non attribuat. — Formula propositionis illius sequens poterit esse: „*Anima nostra est activa, et quaerit absolutam harmoniam omnium suarum activitatum.*"

CAPUT TERTIUM

De

Origine Prima Cognitionum.

Nulla datur cognitio sine repraesentatione objecti, neque possumus quidquam cognoscere quin ejus conscii nobis simus; Originem itaque primam omnium cognitionum humanarum determinaturi in ipsam Repraesentationis et Conscientiae omnis originem inquirere debemus, id est: quaerendum est, unde accipiat homo qualescunque suas repraesentationes, et quomodo efficiatur in mente humana conscientia cujuscunque objecti? — Agemus itaque hic loci a) de *origine Repraesentationum*, b) de *origine Conscientiae*.

§. VII.

Origo Prima Repraesentationum.

I.

Notiones praeviae.

Repraesentare universim idem significat, ac objectum quodpiam menti sistere; et functio animae, qua id fit, generatim *Repraesentatio* dici-

tur. — Elementa proinde omnis repraesentationis sunt *materia*, seu aliquid, quod menti sistitur, et *forma*, sive modus, quo illud aliquid repraesentatur.

Ratione *formae* quottuplices possint esse repraesentationes, quomodove oriantur, expendimus in Logica: ratione vero *materiae* quottuplices sint, undeque oriantur, hic jam determinandum est.

Si objectum, quod nobis repraesentamus, spectetur, repraesentatio quaevis a) vel est *singularis*, vel *universalis*. Illa est, qua objectum quodpiam singulare, seu individuum; haec vero est, qua objectum quodpiam universale, uti genera, species menti sistimus: et quia illae per immediatam actionem objectorum in organa sensoria acquiruntur, etiam *immediatae*, vel *intuitivae* aut *intuitus* appellantur; hae vero, quia primum mediantibus illis abstrahendo efformantur, etiam *mediatae*, *abstractae*, *discursivae*, aut *conceptus* audiunt; b) Conceptus vel sunt *empirici*, vel *rationales*. — Conceptus *empirici* sunt, qui immediate ex intuitibus combinantur, adeoque eorum, quae sub sensus cadunt, identitatem referunt, e. g. *Conceptus hominis*, *animalis*, *plantae;* abeuntque in *proprios* et *analogicos*, prout nempe vel per ipsarum in sensus nostros actionem, vel per similitudinem, quam cum aliis habent, res sub sensus cadentes concipimus, e. g. *Instituti Academici Agriensis habeo conceptum proprium*, *Cassoviensis vero analogicum.* — Conceptus autem *rationales* nobis sunt, qui per ulteriorem abstractionem ex conceptibus empiricis seu sensualibus efformantur, seu quibus objecta per notas sensu non attingendas repraesentamus; ude etiam *conceptus conceptuum* vocantur, e. g. *Conceptus naturae;*

subdividuntur in *Notiones*, et *Ideas*. *Notiones* sunt tales conceptus quibus communissima omnium, quae cogitari, et cognosci possint, praedicata tum interna, tum externa, seu sic dictas *Categorias* repraesentamus; unde etiam conceptus intellectuales hodie vacantur, e. g. *Conceptus causae*. *Ideae* vero (stricte loquendo) sunt, quibus summa, et absoluta omnium substrata, aut genera repraesentamus; unde etiam *stricte rationales*, vel metaphysici conceptus vocantur, e. g. *idea Dei utpote absolutae Causae Universi*. Vide meam Logicam.

II.

Sententiae praecipuae de origine repraesentationum humanarum

Philosophi in determinanda origine repraesentationum duas imprimis tenebant vias. Multi omnes repraesentationes immediate a sensibus provenire dicebant, ideo appellantur *Empiristae*: alii vero repraesentationes ita oriri statuunt in anima humana, ut eas vel omnes, vel saltem illas empiricis superiores, menti ipsi *innatas*, vel certe ante omnem experientiam *praeformatas* ex ipsa, quasi plantam et semine evolvi dicant; ideo hi posteriores nominantur *Noologistae*. Nempe

a) *Pythagoras*, et *Plato* docuerunt, animae nostrae ex vita priore inesse rerum supra sensus positarum repraesentationes, sed quae per ejus in corpus hocce terrenum demersionem obscuratae sunt, et non nisi occasione perceptionum sensualium denuo in memoriam redeunt; quod inde colligi posse putarunt, quia scite interrogans etiam ex indocto, vel puero potest elicere veritates ab-

strusiores. His adverso stabat *Aristoteles*, qui animam adinstar *tabulae rasae* comparare in mundo asseruit, ita, ut illi objecta ipsa debeant semet inscribere.

b) *Cartesius*, et *Malebranchius* saltem *ideas Dei*, *Veritatis*, et *Materiae* a Deo mentibus humanis impressas esse affirmavere. — Praecipuum adversarium nacti sunt in *Lockio*, qui repraesentationes eo sensu, quasi illae, qua totidem imagines rerum animae in primo ortu insculptae forent, innatas negavit.

c) *Leibnitius* contra Lockium ideas innatas rursus defendendas suscepit, sed non sensu illo Platonico (etsi etiam sic ipsas contra Lockium propugnari posse existimaret) verum eo sensu, quod veritates necessariae, et cum his connexae repraesentationes saltem *virtualiter* insint animae, id est, anima nostra ipsa vi sibi connata producat repraesentationes illas absque omni concursu causarum externarum, quarum typus quasi rudium, et obscurarum ipsi inest *Cf. Nouv. Essais sur l' Entend. Ch. II.* — A temporibus Leibnitii complures philosophi virtualiter tantum inesse repraesentationes animae asserebant, ita, ut non cognitiones, aut repraesentationes proprie dictas; sed certas dispositiones, et vires sub iis intelligerent, ope quarum sub certis adjunctis illae ex anima progerminarent.

d) *Kantius*, cujus systema ex conjunctione Philosophiae Leibnitii cum philosophia Lockii ortum suum traxisse, *Cl. Wenzel* in *sua Metaphysica* non vane opinatur, *Sensualitatem*, *Intellectum* et *Rationem* in mente humana discernens, contendit: e *Sensualitate* duos *Intuitus puros Spatii* et *Temporis*, omnibus, quae sub sensus cadunt, cogitando sublatis superstites; ex *Intellectu*, utpote judicandi facultate duodecim

Conceptus puros, quos veteri quidem nomine, sed sensu multum diverso *Categorias* appellat, atque e quatuor momentis Judicii, quantitate nempe, qualitate, relatione, et modalitate eruit; ex *Ratione* autem vi formarum syllogismi categorici, hypothetici et disjunctivi tres *Ideas Absolutorum*, ut totidem repraesentationes ab experientia penitus independentes provenire. Et Intuitus quidem illos, Conceptusque puros ipsam omnium, quae cognosci ab homine possunt, naturam, et modum quo nimirum menti humanae comparere debeant, determinare: Ideas vero tres Absolutorum nempe Animae, ut *Subjecti absoluti*, Mundi, ut *Totius absoluti*, Dei item ut *absolutae Causae*, meras rationis ultra phaenomena nitentis, et absolutum natura sua tendentis, regulas et terminos, atque objecto vacuas repraesentationes esse, asserit.

III.

Nostra sententia de origine repraesentationum humanarum.

Quaestio de origine repraesentationum duplicem universim admittit sensum, nempe: utrum animae nostrae omnes, aut saltem aliquae repraesentationes a natura insitae et *innatae;* vel vero omnes potius ab ipsa *acquisitae* sint? — Posterior haec quaestio rursus vel hoc potest significare: an quaedam repraesentationes *originarie* acquirantur, ita, ut eae immediate ex anima oriantur, omnemque suam materiam, et formam ex mentis quasi visceribus habeant? vel hoc: an omnes repraesentationes *derivative* acquirantur, ita, ut a mente ipsa ex intuitibus sensus externi,

et interni, tamquam prima materia, et basi, per varios seu explicitos, seu implicitos reflexionis abstractionis, et combinationis actus, gradusque efformentur? et hoc postremum sentimus nos, sententiamque nostram probare, et vindicare sequentibus pergimus. —

Propositiones.

I-ma. *Nullae dantur Repraesentationes innatae.*

1. Omnes enim nostrae repraesentationes aut e sensualitate, aut mediante hac ex intellectu, et ratione oriuntur; ergo omnes sunt productae, seu acquisitae, et nullae dantur innatae, seu menti insitae.

Nam quaevis repraesentatio materiam suam habere debet; igitur si repraesentationes menti innatae darentur, materia quoque ipsarum innata esse deberet: jam vero nulla est repraesentatio, cujus materia menti insita esset.

In hoc namque casu repraesentionem, quam primo nunc acquirimus, jam semper debuissemus habere, ipsiusque conscii esse; facultatem enim repraesentandi habuissemus, et ex hypothesi etiam materiam; adeoque etiam repraesentationem illam semper habere debuissemus, quam tamen primo nunc acquirimus, sicut hoc quotidie fieri videmus. Igitur materia repraesentationis nobis innata nulla datur, consequenter omnis repraesentatio vel e sensualitate, vel mediante hac ex intellectu, et ratione oritur, seu producitur, innata vero nulla datur.

2. Si repraesentationes innatae darentur, vel omnium rerum, vel tantum aliquarum essent in-

natae: sed neutrum dici potest; non primum: nam a) sic nulla potest assignari ratio, quare de objectis nondum perceptis nullas habeamus repraesentationes, aut quare non omnes omnino homines de iisdem rebus in iisdem adjunctis easdem nobiscum habeant repraesentationes? aut quare aucta experientia, et crescente cultura intellectus, ac rationis non maneant eaedem repraesentationes? jam vero haec omnia fieri historia vitae humanae teste scimus: b) certissime constat, cuilibet nostrum inesse facultatem repraesentandi; superfluum igitur est repraesentationes omnium rerum animae innatas adstruere; *non secundum:* nam si aliquarum rerum repraesentationes forent innatae, deberent esse omnium innatae; nulla enim potest afferri ratio mentem nostram ita limitans, ut postquam aliqarum rerum repraesentationes sibi haberet innatas, omnium non possit habere; ergo cum omnium rerum repraesentationes animae innatae non sint, nec aliquarum sunt.

3. Repraesentationes nostras spectata materia vel esse simplices, vel compositas, vel singulares, vel universales, paulo ante vidimus; igitur si darentur repraesentationes innatae, aliquae harum deberent esse tales, sed nullae istarum possunt dici innatae.

Non sunt innatae a) repraesentationes *simplices;* nemo enim novit, quid sit e. g. *color*, nisi visu, aut *sonus*, nisi auditu, neque potest quis scire, quid sit e. g. *Commiseratio*, nisi experientia doctus. Non b) *Compositae;* nam istae coalescunt e simplicibus. Non c) *singulares;* hae quippe acquiruntur per sensus intuendo. Non denique d) *universales;* istae namque ex illis abstrahendo efformantur, et in prioribus velut communia et essentialia continentur; sicut hoc de praetensis intuitibus, et conceptibus puris Kantii de-

inceps uberius ostensuri sumus: quod vero *ideas Absolutorum* in specie attinet, ad has ratio humana ab empiricis relativorum conceptibus, et datis legibus supremis cogitandi innixa, quomodo assurgat, in initiis partium *Metaphysicae applicatae* docebimus imprimis.

2-da. *Origo prima repraesentationum a sensibus externis est repetenda.*

Inde enim debet repeti prima origo omnium repraesentationum humanarum, unde earundem formatio initia ducit: sed formatio qualiscunque repraesentationum initia prima ducit e sensibus externis; quia

Ut repraesentatio quaecunque primo in anima oriatur, debet illa percipere impressisiones ab objectis extra se positis factas, ita, ut si sensationi externae animae perceptio non accedat, nulla enascatur repraesentatio, igitur debet in anima quidpiam adesse, ope cujus ipsa impressiones ab objectis externis factas percipere possit, sed istud quidpiam est facultas sentiendi externa, seu sensus externi; ergo ab his debet repeti origo prima repraesentationum. Confirmat hoc experientia. Nam

a) Illi, qui aliquo sensu externo destituuntur, nullam possunt habere repraesentationem eorum, quae ad sphaeram illius sensus pertinent, e. g. *coecus natus coloris*, *surdus soni repraesentationem efformare non possunt;* igitur si quis omnibus sensibus externis destitueretur, nullius repraesentationis efformandae esset capax. b) Diversi homines de uno eodemque objecto e. g. *viso horto*, *vel pago* in iisdem adjunctis diversas habent repraesentationes, sed hujus non alia ra-

tio est, quam quod in diversis hominibus diversa sit receptivitas animae, diversa sensatio; in hunc scilicet ista, in alium alia objecta fortius agunt. Interim

3-tia. *Non omnes repraesentationes oriuntur e sensibus externis immediatae, sed tantum mediate.*

Nam sensus externi objectorum tantum extra animam existentium, et in organa sensoria proxime agentium suppeditant repraesentationes; igitur repraesentationes a sensibus externis immediate provenientes omnes sunt tantum singulares, et individuales: jam vero non tantum illa solemus repraesentare, quae extra nos posita sunt, sed et illa, quae intra nos sunt, uti animam cum suis viribus, et modificationibus: neque solum intuitus, sed et conceptus, notiones, ideasque stricte dictas possidemus; igitur omnes repraesentationes a sensibus externis immediate, et proxime provenire nequeunt, sed tantum mediate. Nempe

Omnes repraesentationes, quas praeter intuitus externos habemus, revocantur ad intuitus internos, conceptus, notiones, et ideas, sed etiam hae repraesentationes mediate, et remote proveniunt a sensibus externis; nam

a) Ut *intuitus internus* mei ipsius sive animae repraesentatio oriatur, debet anima se, qua reale principium suorum productorum prius agendo manifestare: jam vero activitatem suam omnium primo manifestat anima intuendo res extra se positas; igitur intuitus internus, seu repraesentatio animae mediate oritur ex intuitione externa. b) *Conceptus empirici*, hisque superstructi *intellectuales*, et *Notiones* per reflexionem, abstra-

ctionem, combinationem efformantur e repraesentationibus sensuum singularibus; (sicut hoc de genesi conceptuum jam in Logica indicavimus,) *ita e. g. efformatur notio virtutis, abstrahendo ab exemplis singularibus, in quibus ratio aliquam convenientiam detegit cum natura, et finibus actionum liberarum;* ideo repraesentationes tales abstractae, quia majorem activitatem animae requirunt, solent appellari etiam *factitiae:* cum illae singulares, praesentibus objectis se se animae immediate offerentes, *adventitiae* dicantur. c) Habitis repraesentationibus singularibus, intuitu sui ipsius, conceptibus, et notionibus, anima humana ex eadem origine egressa efformat sibi *ideas Absolutorum*, nempe: postquam novit se non tantum simpliciter intueri objecta, sed illa etiam cogitare, cognoscere, appetere, et velle, repraesentat se sibi, qua horum omnium productorum principium unicum reale, sicque efformat ideam *absoluti Subjecti*, quam per analogiam ad omnia entia similis secum naturae extendens, nanciscitur *ideam Spirituum finitorum:* deinde repraesentationes omnium objectorum finitorum secundum notas universalissimas conjungens, acquirit *ideam Mundi*, qua *Totius absoluti:* denique legibus suis constanter inhaerens, imprimis sic dicto principio rationis sufficientis, quaerit causam primam omnis existentiae, hancque alibi deprehendere non valens assurgit ad ens aliquod extra-mundanum, seu Deum, et sic efformat sibi *ideam Causae absolutae.* Igitur cum ideae ad notiones, notiones ad conceptus, conceptus ad intuitus internos vel externos reducantur, intuituum vero externorum fons immediatus sint sensus externi, seu facultas intuendi externa, haec pro origine fonteque primo istorum partim immediato, et proximo, par-

tim mediato, et remoto recte statuitur, ita, ut entia sine necessitate multiplicent illi, qui ad repraesentationum, et cognitionum humanarum originem praeter sensus, intellectum, et rationem amplius quid requirunt.

Solutio Objectionum.

1. Verum est, *idea Dei* spectato suo objecto longe est sublimior, quam quaevis alia, sed ideo innata dici minime debet; modus enim quo illa efformatur, est valde facilis, nempe comparando rerum ceterarum repraesentationes ope sensuum, quivis vel modicum cultus, se, resque extra se positas considerans, ens quodpiam his omnibus superius, excellentius, perfectiusque cogitare debet: quamvis naturam hujus sicut ceterorum cogitatione attingere numquam possit, tanto minus comprehendere. Hinc est; quod nationes omnes, ferae quantumvis, et barbarae aliquam, etsi tenuem, imperfectamque nimis, notionem Numinis supremi semper prodiderint, et maluerint naturam ejusdem sub diversis nominibus, et figuris multiplicare, quam ideae huic penitus renunciare. *Cf: Theologiam meam.*

2. Bonitas Dei infinita (quam vel hic jam praesupponere debemus) hoc tantum deposcit, ut homo ita a natura dispositus, et talibus facultatibus instructus sit, quarum ope rerum ad finem necessariarum, aut etiam utilium repraesentationes comparando, notitiam sufficientem comparare sibi possit: quae dispositiones et facultates si adsint, sicut reipsa adsunt, non tantum non erat conforme bonitati Dei repraesentationes vel quarumdam rerum (taceo omnium) animae nostrae indere; quin imo Dei sapientia, nihil superflui admittens, hac ratione manifeste laesa fuisset, adeoque etiam bonitas utpote ab illa

prorsus inseparabilis. Sicut igitur ex eo, quod e. g. *homo vestibus a natura instructus non sit*, non laeditur bonitas Dei, aut sapientia infinita, sed potius summopere illustratur, postquam ad eum finem *manus* et *ratio* datae sunt: ita etiam quod repraesentationes innatas non habeamus, sed dispositiones, et facultates naturales solum ad easdem efformandas, non patitur bonitas Dei, aut sapientia, sed excellentiori modo manifestatur.

3. *Bona* quaecunque a natura quidem appetit homo, *mala* vero aversatur; sed prout experientia propria vel aliena, aut ratione jam praevie didicit, quaedam rationem boni, alia rationem mali continere, ita e. g. *a natura ferimur in Parentes, benefactores, amicos etc. studemus virtuti, honori, divitiis etc. e contra malefactores, inimicos etc. refugimus, vitia, ignominiam, paupertatem, etc. removere a nobis conamur; non quasi repraesentationes horum nobis essent innatae, sed quia postquam partim ut bona, partim ut mala aliunde nota sunt, ad illa appetenda, ad haec autem aversanda a natura dispositi sumus.* — Hinc si quis per repraesentationes innatas *dispositiones*, et *facultates animae humanae a natura inditas* intelligat, huic dexteram jungendo amici sumus.

4. Quod veritates quaepiam universales, uti principia, et axiomata, omnibus ratione utentibus sint nota, ipsaque etiam e puero, aut rudi elici possint, non arguit notiones quasdam esse homini innatas; sed quod veritates illae valde sint obviae, et propinquae omnibus, ita ut sola fere analysi conceptuum, seu apprehensione terminorum, modicaque attentione opus sit ad ipsas perspiciendas; ita *e. g. facile perspicit quivis totum majus debere esse una qualibet sui parte.*

5. Distinguenda est origo repraesentationum apud rudes, incultos, et apud cultiores, philosophosve; alioquin si facultas hominis cognoscitiva per majorem cultu-

ram ad ampliorem perfectionis gradum evehitur, etiam repraesentationum abstractissimarum necessariarum, et universalium efformandarum capax fit, et sic poterit etiam intuitus, conceptus, ideasque illas puras recentissimorum efformare, sed ab experientia penitus independenter nunquam; priusquam enim talium repraesentationum capax sit, repraesentationes non nisi originis empiricae habet: cum semper certum maneat, quod homo ex utero matris egrediens, primas repraesentationes accipiat per intuitionem externam, neque prius ad repraesentationes universales, et necessarias, seu empiricas, seu intellectuales, seu rationales assurgat, nisi ubi altiores facultates animae suae sufficienter excolens, et e singularibus repraesentationibus qua totidem datis experientiae egressus, reflectere, comparare, abstrahere, combinareque noverit; in hoc casu alioquin comparebunt multae repraesentationes, quae purae, et a priori esse videbuntur; sed tantum videbuntur, ideo, quia amplius discerni nequit, aut saltem difficile est, a quali intuitu, vel experientia acceperint primam suam materiam, aut occasionem. Sic distinguendo, controversia *Empiristarum* et *Noologistarum* forte tandem superari poterit.

6. Etsi omnium repraesentationum auctorem hominem ipsum dicamus, et omnes a sensibus externis originarie derivemus; ideo nec Empiristae, nec Idealistae sumus, *Non Idealistae;* quia ad efformandas repraesentationes etiam influxum objectorum externorum vere existentium requirimus, ita, ut primae, et omnis originis repraesentationum anima *ratio absoluta*, objecta *conditio necessaria* sint, quemadmodum sequente §. exponetur. *Non Empiristae*; quia omnes repraesentationes ab experientia externa proxime, et immediate non derivamus; neque animam cum Aristotele adinstar *tabulae rasae*, consideramus; sed remote tantum, et mediate, ita, ut animam

primo per intuitus externos excitatam, vi suarum dsipositionum, et facultatum naturalium multas repraesentationes per se efficere statuamus, quarum tamen prima materialia, ansam, et occasionem ab intuitibus externis acceperit. Tantum proinde abest, ut Philosophia, aut plane Metaphysica per nostra asserta scientia *empirica* reddatur, ut potius per ipsa omnis experientia *scientificam* formam, valorem, et soliditatem primo consequatur. *Vide Gerlachs Grundriss der Metaphysik pag.* 53.

§. VIII.

Origo Conscientiae.

I.

Notiones praeviae.

Conscium esse in genere idem significat: ac objectum repraesentatum tam ab anima repraesentante, quam a repraesentatione distinguere, e. g. *distinguo repraesentationem domus a me: non est repraesentatio haec anima mea, sed quidpiam, quod ad animam meam pertinet: distinguo porro repraesentationem hanc ab objecto suo, nempe domo, iterum repraesentatio haec ipsa non est domus, tantum domum repraesentat; igitur ut domus conscius sim, debeo ejus repraesentationem tum ad me, ut subjectum, tum ad domum, ut objectum referre, et ab utroque discerner.* — Hinc

Conscientia, etsi stricte definiri nequeat, potest tamen in genere dici relatio repraesentationis ad subjectum seu *Ego*, et ad objectum, seu *Non ego:* et ratione objectorum, quorum nobis conscii esse possumus, alia est *conscientia reprae-*

sentationis, alia *conscientia objecti repraesentati*, alia *conscientia mei ipsius. Conscientia repraesentationis* est, qua anima suam sibi repraesentationem sistit, quin ad repraesentatum per eam objectum attendat. *Conscientia objecti repraesentati* est, qua anima hoc, quod sibi repraesentat, tamquam aliquid a repraesentatione diversum cogitat. Denique *Conscientia mei ipsius* est, qua anima se ipsam, distinguendo tum a repraesentatione, tum ab objecto repraesentato, ut subjectum repraesentans sibi repraesentat; licet saepe anima ipsa etiam objectum repraesentatum sit, e. g. *dum existentiae suae*, *aut multiplicis activitatis conscientia fit.*

Fluit ex his: Conscientiae cujusvis, sicut cognitionis in genere elementa esse, subjectum, objectum, et repraesentationem relationis inter subjectum et objectum intercedentis, atque, quoties-cunque vero conscii sumus, aliquid, seu nostrum Ego, et aliquid, quod nostrum Ego non est, sed res extra nos, qua *existens* a nobis poni, et utrique *realitatem* attribui. Quaeritur, *quali Jure id fiat?*

Quod *Ego*, qui repraesento, cogito, appeto, et volo, existam, factum ita certum est, ut hoc vel probare velle superfluum sit, meritoque illud Cartesianum „*cogito ergo sum*" tamquam tautologicum (hoc est, idem significans „*existentiam exerceo*, *ergo existo*") a multis hodie sugilletur. — Pari modo, quod *res extra me* re ipsa existant, communis intellectus absque omni dubio tenet; ast ratio philosophica, quae e munere suo *absolutum* quaerit, et scita quaevis ad *certa*, *ultimaque principia* revocare studet, hac persuasione communis intellectus de entium extra animam reali, et objectiva existentia non contenta, quaestionem movet: *an cognitio nostra de*

reali

reali extra nos existentia certa sit, *vel tantum vana illudensque persuasio?* — utrum ea, quae re ipsa extra animam existere judicamus, sint solum producta intellectus nostri; sint merae repraesentationes, et ideae?

§. II.

Sententiae praecipuae de origine Conscientiae

Quaestionem illam, communi intellectui imperviam, omni tempore tentabant solvere philosophi; sed non eodem modo. Hoc quidem omnes, ne acerrimo quidem Sceptico excepto, tamquam factum indubium praesupponunt: quod sicut nostri ipsius, ita etiam rerum extra nos conscientiam habeamus; sed quomodo haec Conscientia sit possibilis unde oriatur, et quae sit ultima ratio hujus, quod objecta extra nos realiter existere nobis persuadeamus, in his determinandis a se multum discedunt.

Commode tamen omnes ad tres classes revocari possunt. Vel enim a) contendunt, Conscientiam in nobis produci ab anima repraesentante sine omni influxu entis extra nos existentis; adeoque objecta, quibus nos realem existentiam tribuimus, nihil aliud esse, quam meras ideas, quibus nulla externa, seu objectiva realitas competit: et vocantur *Idealistae*, theoria vero ipsorum *Idealismus*. Vel b) asserunt, Conscientiam, sicut quamvis repraesentationem produci ab entibus extra nos existentibus, animam nostram, uti cetera quaevis, esse ens pure materiale modo inconceptibili conscientia praeditum: hi appellantur *Materialistae*, vel *Realistae;* theoria vero ipso-

rum *Materialismus*, vel *Realismus*. c) Alii denique Conscientiam in nobis effici statuunt ab anima nostra repraesentante, et simul ab objecto extra animam existente, ita, ut horum alterutro deficiente, Conscientia oriri non possit: et hi sunt *Synthetistae*, theoria vero ipsorum *Synthetismus* audit.

Idealistae a) vel sunt *Dogmatici*, vel *Sceptici*. Illi sunt, qui affirmant, non existentiam objectorum extra nos demonstrari posse; unde etiam *Assertorii* dicuntur: hi vero sunt, qui realem existentiam objectorum extra nos in dubium vocant, dubitandum scilicet esse ajunt et de existentia, et de non existentia objectorum extra intellectum; cum neutrum putent posse probari, tales inprimis sunt: *Pyrrho*, et *Hume*. b) *Dogmatici Idealistae* vel sunt *Mystici*, vel *Egoistici*. — *Mystici* sunt, qui repraesentationes objectorum produci in nobis contendunt ab ipso Deo; unde etiam *Theologici*, vel ab auctore suo *Berkeleyani* vocantur: *Egoistici* vero sunt, qui repraesentationes objectorum extra nos produci asserunt ab ipso Ego, seu anima secundum necessarias leges sui intuitus; unde *Anthropologici* quoque, vel a suo coryphaeo *Fichteiani* appellantur.

Ab his omnibus distinguuntur *Idealistae Formales*, qui duce Kantio existentiam realem objectorum extra intellectum nostrum non negant; sed quid illa objecta *in se* sint, cognosci a nobis non posse asseverant; hinc etiam *Transcendentales* se appellant.

Materialistae quoque vel sunt *Dogmatici*, vel *Sceptici*, illi vel *crassi*, vel *subtiliores Dogmatici* sunt, qui materiae vim repraesentandi competere probant, vel in genere, et hi sunt *Crassi*, vel saltem materiae *organisatae*, et hi sunt

Subtiliores: Sceptici autem sunt, qui problematicum esse volunt, an materiae competat vis repraesentandi? —

His praemissis determinandum est: quaenam via nos securissime ducat ad explicandam veram originem Conscientiae, — id quod sequentibus praestamus.

a)

Refutatio Idealismi.

Propositiones.

1-ma. *Idealismus in genere sustineri nequit.*

Nam Idealismus ducit ad Nihilismum, tollit Moralitatem, et communem intellectum scandalizat; etenim

Idealista originem Conscientiae explicat absque omni influxu entium extra animam, adeoque ponit aliquid *ideale* sine *reali*, ideale autem sine reali est nihilum; quia

Si omne *reale* abesse cogitetur, nec *subjectum* remanet, seu aliquid, quod repraesentat, et per hoc sui conscium fit, nec *objectum*, seu aliquid, quod repraesentatur, et cujus homo conscius fit: si autem et subjectum, et objectum tollitur, tollitur una omnis repraesentatio, et Conscientia, quibus sublatis nihil remanet; igitur cum Idealismus non praestet, quod promittit; promittit quippe explicationem hujus, quomodo repraesentationes de rebus determinate existentibus sint possibiles; et tamen originarie nihil realis seu objectivi, seu subjectivi superesse contendit, ac propterea vel ex hoc respectu rejici debet. Id, quod

Recentissimi Idealistae ipsi fatentur. Omnium loco sit parens ipsorum *Fichte*, qui in suo Germanico opere, quod *de destinatione hominis* scripsit, apposite ad sua principia sic loquitur: *Nullibi datur quidpiam durabile, seu extra, seu in me, sed mutatio continua. Ego nescio quidquam de ullo esse, vel meo proprio. Esse nullum est. Ego ipse universim nihil scio, et nihil sum. Omnia quae sunt, sunt tantum imagines transeuntes omni significatione, et scopo destitutae. Ego ipse sum una harum imaginum, imo nec hoc, sed unice confusa imago imaginum.— Omnis realitas abit in mirabile somnium.— Intuitus est somnium: cogitatio fons omnis existentiae, et realitatis et somnium somniorum.*— Non est ne talis Philosophia imaginum, et somniorum verus nihilismus? Sed et

Moralitati inimicus est, Idealismus! Ad culturam enim verae *moralitatis* requiruntur certa objecta extra me, in quae activitatem suam anima exerere possit; vera enim moralitas explendo multiplicia officia erga Deum, socios homines, et quaevis alia mundi objectivi entia absolvitur (sicut hoc Philosophia practica docet): sed Idealista mundum objectivum cum suis omnibus entibus pro meris ideis habet, consequenter etiam Deus ut mundi Conditor, Conservator, et Gubernator, ipsi nihil aliud, quam idea erit; adeoque conformiter suis principiis Deum, homines et quaevis alia entia, hisque competentia officia, et jura non tanti faciet, quanti is, cui haec omnia realia sunt: offendet Deum, violabit Ejus leges sanctissimas, nihil faciet sua erga homines officia, et jura, dummodo aliquod commodum ferat; non enim e sententia sua offendet Deum, homines, aliaque extra se vere existentia, sed tantum pro-

ducta sua, et ideas; igitur Idealismus tollit moralitatem.

Intellectum quoque communem offendit, qui de reali objectorum extra animam existentia plene convictus est, et in praxi nonnisi objecta realiter existentia supponit, omnemque eum insanire recte judicat, qui existentiam objectorum negat, quae tamen ipse, et omnes alii sani sensibus rite applicitis percipiunt. Sed et in specie.

2-da. *Idealismus Dogmaticus non potest sustineri.*

Quia Idealista Dogmaticus asserit, non existentiam objectorum extra nos demonstrari posse, quod est impossibile; nam

Si non existentia objectorum extra nos demonstrari posset, deberet ostendi impossibilitas objectorum realium: sed hoc fieri nequit; quia

Videbimus in Ontologia *impossibilitatem* vel esse *realem*, vel *logicam*, sed de ente, quod non existit, nec impossibilitas realis, nec logica ostendi potest. *Non impossibilitas realis;* nam de entibus, quae non existunt, nullam cognitionem habemus; igitur nec potest de ipsis, possibilitateque ipsorum, aut impossibilitate sermo esse. *Non impossibilitas logica;* haec enim consisteret vel in contradictione conceptus entis a repraesentatione diversi, vel consisteret in contradictione certarum nostrarum repraesentationum cum objectis iis convenientibus, quae tamquam existentia a nobis supponerentur. *Si primum*, tunc contradictio nostrum opus esset, solumque sequetur, conceptum nostrum de objecto *vacuum* esse, id est, nullas notas in se continere; si *alterum*, tunc contradictio tantum versaretur inter conceptus, et propositiones, et solummodo sequeretur,

conceptum nostrum de objecto *falsum* esse, non autem objectum non existere. Igitur impossibilitas existentiae objectorum extra nos demonstrari non potest, hinc nec Idealismus Dogmaticus subsistit.

3tia. Idealismus Mysticus sustineri nequit.

Idealista enim Mysticus in explicanda origine conscientiae confugit ad immediatam actionem Dei, quasi Is produceret in anima nostra repraesentationes rerum: sed per hoc vera origo conscientiae non explicatur; quia

a) Hoc ipsum quod Deus existat, Idealista mysticus primo evincere deberet, quod tamen solum praesupponit; sed etiam si evinceret, non explicabit illum modum, quo Deus, homini alioquin incomprehensibilis, efficeret repraesentationes rerum in illius anima b) Theoria haec indignum suppeditat conceptum de Deo, dum Eum talem sistit, qui pro lubitu suo cum hominibus ludere, repraesentationesque in animabus nostris producere possit, quin securos de eo reddat, an non phantasia propria perpetuo decipiamur? igitur nec Idealismus iste sustineri potest.

4-ta. Idealismus Egoisticus sustineri nequit.

Nam Idealista Egoisticus tollit existentiam veri Dei.

Ex sententia quippe Idealistae talis nihil existit praeter suum *Ego absolutum*, et mundus est tantum productum hujus Ego; igitur non alium agnoscit Deum, nisi suum Ego, et si suis principiis inhaereat, ipsius *Theismus Autotheismus* esse debet; Deum vero, ut Intelligentiam a suo Ego independentem, et a quo mundus iste totus

extra Ego, quoad suam existentiam dependeret, admittere non potest, quod exemplum Fichtei, asseclarumque ejus si non explicite, implicite tamen satis probat: sed ad conceptum veri Dei summa intelligentia, independentia, creatio etc. ex rationibus in Metaphysica applicata indicandis pertinent; igitur Idealismus Egoisticus tollit existentiam veri Dei, et velut talis sustineri nequit.

5-*ta Idealismus Formalis subsistere nonpotest.*

Etsi resultata illa periculosa, et absurda, quae in hucusque recensitis theoriis Idealistarum deteximus, Kantio, utpote qui se adversarium Idealismi sceptici Humii, et mystici Berkeley aperte declaravit; imo in sua *Aesthetica transcendentali* pro existentia mundi objectiva novum se invenise argumentum gloriatur, imputare directe (ut multi post Stattler, Miotti etc. faciunt) non velimus, nec inter aliorum, et ejus Idealismum paralellismum ducere in animo habeamus; tamen etiam hunc subsistere non posse, e sequentibus rationibus tenemus.

1. Si qualitates illae, quas objectis attribuimus, ipsis objectis re ipsa non insunt, debent inesse animae repraesentanti vel ut *substantiae*, vel ut *modificationes nostrae*, vel ut *merae Ideae*, et *imagines:* sed duo prima nec ipsi Formalistae admittunt; quis enim sanus audebit asserere *rotunditatem*, *e. g. mensae* ita inesse animae suae, sicut rationem, sine qua se nec cogitare potest, aut quis unquam affirmabit rotunditatem mensae ita esse modificationem animae, sicuti est ratiocinium, quod ex internis legibus animae explicatur; si autem tertium statuatur, paratus est Idealismus Berkeleyanus; sequitur

enim extra animam nihil objectivi esse in mundo, quod admittere nec volunt, nec possunt.

2. Si objecta extra nos sunt tantum mera *phaenomena*, id est: omnes proprietates attributaque, quae de illis repraesentamus, cognoscimusque sunt tantum relativa ad intellectum, et subjectiva, etiam actionum, et eventuum omnium (quippe quae repraesnetari, et cognosci possunt) attributa talia esse debebunt: sed hoc a sensu hominum, et usu loquendi communi abhorret; quis enim asseret *de mente nostra potius, quam manu praedicandum esse, eam arare, aedificare, scribere, mentem potius, quam Siciliam fuisse terrae motu concussam, eam magis quam Carthaginem esse eversam, Napoleonem in mente potius, quam in insula S. Helaene fatis cessisse.*

3. Ex eo, quod objecta externa prout in se sunt seu *Noumena* plene non cognoscamus, cum in hunc finem *essentias* rerum *Metaphysicas* penetrare deberemus, quod tamen (sicut Ontologia docebit) hominis non est, non sequitur illa esse mera *phoenomena;* datur enim medium, quod nec Noumenon nec phoenomenon est, sed objectum e subjectivis, et objectivis qualitatibus mixtum, in quo tamen plus objectivi, quam subjectivi natura distinguimus, quodque menti nostrae obversari probabilius est, quam Formalistarum Phaenomena. Sane sicut ex eo, quod quis ob debilitatem oculorum rem quampiam obscurius repraesentet, ac haec in se re ipsa est, inferri nequit eidem ex *objectivis* qualitatibus rei repraesentatae nullam esse cognitam; sed potius concludi debet in repraesentatione talis hominis aliquid *subjectivi*, plurimum vero *objectivi* esse: ita etiam ex eo, quod objecta externa independenter a nostris repraesentationibus non cogno-

scamus, hoc tantum sequitur, cognitiones humanas non tantum ex *objectivo* sed et *subjectivo* coalescere, ita tamen, ut in omni cognitione plus *objectivi* quam *subjectivi* sit.

4. Idealismus Kantii secum ipso pugnat; nam a) Noumenorum existentia in *praefatione Criticae rationis purae pag.* 41. statuitur ita certa esse, sicut ipsarum repraesentationum; haec eadem Noumena tamen in decursu operis *pag.* 310. vocantur *Notiones problematicae.* b) Etsi objecta extra nos existere clare edicat sed tantum neget illa cognosci posse, prout in se sunt per *determinationes positivas*, ita ut de rebus in se asserat. sciri non posse, *quid sint*, sed *quid non sint? (Cf. Crit. r. pur. pp.* 236. 274. 566. 568. 641. *cum prolegom. ad Metaphys. pp.* 70. 207.) tamen pag. 344. *Crit. r. pur.* de ente in se, quod etiam *objectum transcendentale* vocat, hoc statuit Kantius, quod penitus incognitum sit *utrum in nobis, vel extra nos deprehendatur? — an sublata facultate sentiendi ipsum etiam tolleretur vel non.* Idem Kantius, objectum suum transcendentale vocat *Causam phaenomeni*, et tamen paulo post asserit, quod illud nec qua *magnitudo*, nec qua *realitas*, nec qua *substantia* possit cogitari, non pertinet ne autem *conceptus causae* ad *conceptum substantiae?* — igitur quamvis probe noverimus, levem, aut immodestum prodere animum, in aliorum scriptis, aut dictis sollicite inquirere in repugnantias; tamen postquam in theoria Idealismi Formalis tam manifesta deprehenditur sententiarum pugna, quod sentimus, dicimus: auctorem ejus Kantium vel sibi ipsi contradicere, vel scepticum esse. *Cf. Krugs Fundamental Philosophie pag.* 123.

Solutio Objectionum.

1. Recentissimi Idealistae periculosas sequelas theoriae suae sentientes, a seque amoliri volentes asserunt, Idealismum esse meram speculationem in praxim, et moralitatem actionum nullatenus influentem. Ast a) valde suspectam se reddit talis Philosophia, quae ex arbitrariis hypothesibus egressa, resultata sua ad actiones applicari non sinit, et praxim cum theoria confligere facit. b) Speculatio talis, quae in vitam hominis nullatenus influit, sterile somnium est, non vera philosophatio, quae Harmoniam absolutam omnis activitatis animae, theoricae, et practicae intendere debet. c) Idealismus recentissimus Fichtei beneficam revolutionem scientiarum, imo omnis humanitatis gloriabundus promittit; quomodo autem posset hoc praestare tale systema, quod tantum speculatio est ad vitam non applicabilis.

2. Nec juvat in sola *Fide* effugium quaerere, quas nempe Idealismus negans cognitionem realis existentiae rerum extra animam, ejus defectum per fidem, quam ultro admittit, imo ad moralitatam necessariam esse vult, abunde suppleret. Nam a) *Fides* ibi tantum habet locum, ubi ipsi veritatem quampiam non perspicimus, aliunde tamen propter certos fines assumimus, seu *credimus* (*cf. meam Logicam de eff. cert. p.* 202—203): sed Idealiste ipsi fatentur, clarissime se perspicere omnia, quae sunt, esse tantum *imagines*, et *somnia*; quis autem credat talium realitatem, quorum inanitatem tanta claritate pervidet? quis non rideat *e. g. rusticum, cui cum per astronomum motus telluris circa solem simplicissime demonstraretur, exclamasse tamen ultimo fertur: perspicio, quod hoc ita debeat esse; sed credere non possum!* b) Impossibile est, ut hoc ad moralitatem sit necessarium, cujus nihilitatem perspicio: jam

vero nihilitatem mundi sensibilis Idealista dicit se perspicere; quomodo ergo potest illum qua theatrum omnis moralitatis assumerre? aut quare annihilat theoretice mundum si eumdem practice denuo realisare debeat?

3. Quantumvis speciosa sit illa *aeterna universalis*que *Redemtio*, quam *Spiritus* ille *Pythonicus* in opere Fichteiano *de destinatione hominis* miseris mortalibus sub jugo necessitatis realis existentiae rerum gementibus, promittit; eousque tamen solum durabit, donec Idealista e suo Museo egressus per casum tegulae, aut fulminis admonitus, et terrefactus, inanitatem speculationis suae cognoscere coactus fuerit; scilicet non Idealismus, aut quaecunque alia speculatio, sed vis, motivaque moralia supra necessitatem naturae et instinctus elevantia efficiunt hoc, ut hominem, etsi maxima pericula mundi, quem vere existere sibi persuadet, stipent, etsi horrida mors eidem immineat, etsi fractus illabatur orbis, impavidum feriant ruinae:

4. Non negamus nos, quod multi Idealismum professi, bene morati, probique fuerint, aut sint: sed hoc tantum volumus, quod Idealista conformiter suis principiis veram moralitatem colere non possit; de Idealistis nempe bene moratis valet illud, quod Cicero *L.* 2. *de Fin. C.* 25. de melioribus Epicureis adnotavit: *ut ceteri existimantur dicere melius, quam facere, sic himihi videntur facere melius, quam dicere.*

5. Etsi fieri possit ut saepe quod experientiam esse credimus mera imaginatio sit, facile tamen est a) objecta verae experientiae dignoscere a meris phantasmatibus imaginationis, vel illas leges observando, quas pro experientia in Logica assignavimus. b) Etiam producta imaginationis vel ex reproductione, vel ex modificatione sensationum jam olim habitarum exoriuntur; adeoque supponunt, objecta extra me existentia, quibus jam antea afficiebar.

6. Possumus quidem repraesentare objecta realiter non existentia repraesentatis jam antea objectis, vere existentibus sed sine his nunquam.

7. Licet res per se non noscamus, cum quamprimum aliquid cognoscimus, non res ipsa, sed modificatio tantum animae obversetur; non cessant tamen id esse, quod sunt unice ideo, quia in Conscientiam nostram veniunt, id est, non evadunt merae relationes. Adeoque ipsas etiam res connoscimus, licet cognitio haec secundum leges animae internas fiat: ita nempe consurgit conscientia partim ex eo, quod natura objecti secum fert, id est, Cognitiones nostrae sunt *subjectivo-objectivae*, ut hoc paulo post apparebit.

b).

Refutatio Realismi.

P r o p o s i t i o.

Realismus non subsistit.

Realismus enim ducit ad Materialismum; nam Realista ille dicitur, qui Conscientiam in nobis produci contendit ab objectis externis absque omni influxu animae, adeoque ponit aliquid *reale* sine *ideali*; hoc enim primo conatur deducere ex illo, tamquam certam ei convenientem determinationem, vel modum existendi: sed reale sine ideali non aliud est, quam *materia* vel *massa corporea;* haec quippe caret ideali, seu conscientia omni et repraesentatione, cogitarique debet ut quid extensum, spatium implens, secundum certas leges attractionis, et repulsionis se movens, aut

quiescens: *etiam* vero sola *materialia* admittere Materialismus est; igitur Realismus ducit ad Materialismum.

Quod exemplum Realistarum abunde probat; etsi enim non omnes Realismum professi, hoc ipso professi fuerint etiam Materialismum, hoc tamen vel ideo factum est, quod legum logicarum ignari, aut immemores inconsequenter locuti sint, vel quod periculosis sequelis Materialismi deterriti, pedem fixerint, sicque suis principiis infidi esse maluerint. Ast alii omnes principia sua (ut philosophum decet) presse secuti, et de moralitate parum solliciti, universim se pro Materialismo declararunt, licet deinde fine facilius explicandae originis conscientiae, jam crasso, jam subtiliori Materialismo subscripserint, sicut hoc suis locis dicturi sumus. Hoc videtur sensisse *D. Wenzel*, qui initio suae *Philosophiae* §. 42. Materialismum a Realismo distinguens, in *Metaphysica* §. 14. eandem cum Realismo pro eadem theoria habet.

Sed Materialismus non subsistit.

1. Objecta enim extra nos existentia non sunt *causa* conscientiae, et repraesentationis, quam de iis habemus, *efficiens*, sed tantum *conditio*, sub qua activitas animae se manifestare potest; nam

Principium Ontologicum est, non posse esse plus in effectu, quam sit in causa: sed si objecta externa conscientiae causa efficiens essent, plus esset in effectu, quam sit in causa; quia effectus conscientia foret, quae tamen in objectis externis non reperitur.

2. Materialismus ducit ad Pantheismum, perniciosus est Moralitati, offendit communem intellectum; ergo subsistere non potest.

Ducit ad Pantheismum; nam Deum ratio philosophica suis principiis innixa, ut Ens originarium, infinitum, et realissimum cogitare debet (quod videbimus in Theologia): sed Materialista suis principiis inhaerens Deum ut tale ens cogitare non potest. Nam a) Materialistae quidquid existit, et cognoscibile est, ens materiale, extensum, spatium occupans, mobile, aut quiescens est: sed quod tale est, Ens originarium etc. non est. b) Materialista praeter mundum hunc materialem, qua *universum absolutum* nullam Intelligentiam supremam, nullam causam originariam ab universo hoc distinctam agnoscere potest; igitur necesse est, ut Universitatem hanc rerum pro ipsa Divinitate habeat, et *totum, quod videt*, Deum esse dicat: sed hoc *Pantheismus* est; igitur Materialismus ducit ad Pentheismum. Hinc Historia Philosophiae teste *Theismus* Materialistarum semper *Pantheismus* erat: sufficiat duos viros a Materialismo consequenter deducto celeberrimos nominasse. — *Spinoza* communi judicio strictissimum systema adornavit Materialismi Realismo superstructum, ille autem fuit primus, qui Pantheismum in sua forma docuit; unde theoria haec etiam *Spinozismus* appellatur. — *Schelling* in suo *systemate Identitatis* realismum transcendentalem professus, seu *esse*, et *reale* originarie absque omni ideali ponens per ipsos Kantianos Pantheismi postulatur; etsi per hoc velit se excusare, quod ipse non *Deum in natura*, sicut fecit Spinoza; sed vice versa *naturam in Deo* quaerat. *Cf. Frints Handbuch der Religionswissenschaft* §. 26—29.

Perniciosus est moralitati. Quia a) qui hanc sententiam tenet, quod conscientia non ab anima nostra, sed ab objectis extra animam existentibus producatur, facile animam superfluam

esse dicet, et hominem veluti machinam considerabit: machina autem est incapax moralitatis, utpote quae e notione sua ens liberum pro subjecto requirit, machina vero legibus mechanicis necessario subjicitur. b) Si verum est, quod objecta externa efficiant in nobis conscientiam, perit libertas animae; non enim ipsa vi Propria se determinabit (quod tamen ad libertatem requiri in Anthropologia docebimus), sed ab objectis externis unice determinabitur; si autem libertas perit, non sum subjectum officiorum et jurium, et si ipse subjectum tale non sum, nec in aliis officia et jura venerabor; hoc modo autem periclitari moralitatem, manifeste sequitur.

Offendit communem intellectum. Nam Intellectus Communis sensu interno convictus est, substantiam illam, quae *anima* apellatur, principium per se activum, ens *spontaneum*, i. e. ens se ipsum determinans esse, ita, ut quivis sanae mentis homo, et ipse Materialista dicere soleat: „*Ego cogito*, *ego mihi conscius sum*, *ego mihi repraesento*, *ego volo hanc repraesentationem producere*:“ sed Materialismus testimonio huic irresistibili sensus interni contradicit; igitur intellectum communem offendit, consequenter subsistere non potest.

Solutio Objectionum.

1. Ex eo, quod non existentibus objectis extra nos nullam haeremus seu nostrimet ipsius, seu rerum aliarum conscientiam, nequaquam sequitur, conscientiam omnem effici ab objectis extra nos positis. Nam a) non existente etiam anima, qua subjecto, nulla oriretur conscientia, etsi objecta externa existerent; adeoque Idealismus pari jure subsisteret. b) Non existentibus objectis

extra nos ideo non haberet anima conscientiam, quia conditiones deessent, sub quibus conscientia possibilis est; objecta vero externa conditiones conscientiae necessarias esse non negamus.

2. Non juvat cum quibusdam inter conscientiam, et repraesentationem distinguendo dicere: repraesentationes ab objectis externis, conscientiam vero ab ipsa anima effici; eadem enim anima, quae subjectum conscientiae est, est quoque subjectum repraesentationis, et alioquin repraesentatio in anima aliunde effecta contradiceret ejus spontaneitati.

3. Quod multi Materialistae Pantheistae non fuerint, aut quod moralitatem coluerint, hoc tantum probat, sicut jam in proba innuimus, et superius etiam de Idealistis observavimus, illos conformiter suis principiis non cogitavisse neque egisse.

c.)

Refutatio Scepticismi.

Propositio.

Scepticismus non potest sustineri.

1. In dubio aliquid relinquere, tantum est, ac nunquam judicare velle, et *Indifferentismum logicum* profiteri: sed hoc rationi, utpote veritatis indagatrici non convenit; ergo scepticismus non subsistit.

2. Entia extra nos vel existunt, vel non existunt; medium non datur; ergo una harum propositionum vera, altera falsa esse debet, sed ostendi non posse, entia extra nos non existere, Idealis-

lismum Dogmatismum refutantes, supra probavimus; sequitur igitur, illa existere.

3. Scepticismus a) intendit cognitionem per hoc, quod nulla cognitio sit possibilis, b) omnia vult esse incerta, et dubia et tamen instar principii sumit, de omnibus dubitandum esse, ergo vel sibi contradicit, vel omni principio destitutus, non systema, sed inanis pro et contra disputatio est; in utroque casu ipsum rejici debere, suapte intelligitur.

4. Scepticismus occasionem praebet Idealismo; si enim dubitandum est de reali existentia objectorum extra nos, pronum est eam penitus abnegare, atque ita in Idealismum incidere: sed hic non subsistit; ergo nec scepticismus.

5. Scepticismus est theoria periculosa, et Intellectum communem offendens.

Est theoria periculosa. — a) Qui enim entium extra nos existentiam vel non existentiam in dubio relinquit, huic par est ratio, seu existant, seu non existant: qui autem ita est comparatus, curam veritatis non gerit, qui curam veritatis non gerit, facillime *Indifferentismo morali* accedit, i. e. nihil sollicitus est, an bene, vel male agat: jam vero Indifferentismus hic quam periculosus sit, quivis perspicit, pretium virtutis, et vim sensualitatis in homine perpendendo. b) Si de eo, an entia extra nos existant, dubitare licet, licebit etiam de eo, an illis officia quaedam, aut jura competant; si autem de officiis, et juribus universim dubitare licet, tam moralitas quam securitas externa hominum periclitabitur; igitur scepticismus, cum haec consectaria habeat, est theoria periculosa. Sed et

Communem intellectum offendit. — Hic enim ibi non dubitat, ubi rationes sufficientes adsunt ad judicandum: scepticismus autem dubitat

sine ratione dubitandi sufficiente, nec judicat, licet rationes sufficientes judicandi praesto sint.

Solutio Objectionum.

1. Distingui debet scepticismus *logicus* a *transcendentali*; illum, quia eo tendit, ut omnia sobriae crisi subjiciendo, Cognitiones certae acquirantur, jam in Logica ut praecipuum remedium errorum, conditionemque Logicae perfectionis cognitionum proposuimus; ideo etiam *methodicus*, vel *criticus*, vel quia praeprimis a Cartesio commendabatur, *Cartesianus* dicitur; scepticismum autem *transcendentalem*, alias *materialem*, vel a suis auctoribus *Pyrrhonicum*, aut *Humianum* dictum, quia omnia impetit, non ut ad 'certitudinem deducat, sed ut incertitudinem omnium cognitionum evincat, et sic ipsam cognitionem annihilet, merito condemnamus.

2. Si scepticismus etiam *materialis* id tantum intenderet; ut immoderato Dogmatismo limites ponantur, tolerabilis foret: ast scepticus hic non subsistit, nec subsistere potest; si enim ex ipso quaeratur: quid tandem habeat pro vero, et certo? aut dogmatice debebit aliquid affirmare, aut omnia in dubium vocare, et abnegare: *primum* facere non potest, quia sic et ipse Dogmaticus erit; ergo remanet ipsi *alterum*, ut nempe omnem cognitionem pro incerta habeat, imo etiam hanc suam fundamentalem assertionem, *de omni re est dubitandum*, addubitet, sicque cum antiquis fateatur *nihil sciri posse ne idipsum quidem.*

Dum scepticus arbitrarias assertiones Dogmaticorum refutare conatur, non alio id fine potest facere, quam ut defectus, et errores in illis latentes detegat: jam vero mens humana non tantum falsitatem, et errorem, sed etiam oppositam veritatem perspicere amat, et

cognoscere; si enim opposita veritas non datur, nec falsitas, aut error habet locum, cum in tantum sit aliquid falsum et erroneum, in quantum vero contradicit; et si cognoscam aliquid falsum, et erroneum esse, adminus, hanc meam cognitionem pro vera debeo habere, secus nullo jure assererem illud falsum, et erroneum esse; cum igitur scepticismus nullum certum resultatum habeat, merito ut inanis disputandi ars rejicitur.

4. Quamvis non omnes cognitiones sint verae, neque veritatem omnium absoluta certitudine perspiciamus, minime sequitur de omnibus dubitandum esse; praesto enim sunt *Criteria veritatis* non tantum *formalis*, quae jam in Logica attigimus, sed etiam *veritatis materialis* cognoscendae, quae proxime adducemus, ex quibus quivis levi negotio dijudicare potest, an, et quanta cum certitudine quidpiam cognoscat? quin in sceptismum prolabi cogatur.

III.

Sententia nostra de Origine Conscientiae.

Non possumus dicere cum *Idealistis*, quod Conscientia unice ab anima sine omni influxu rerum extra nos existentium producatur; neque cum *Realistis*, quod res extra nos existentes eamdem efficiant sine anima; ne tamen cum *Scepticis* in re tanti momenti dubii haereamus, quod consilium capiemus? forte viam mediam tenere, securissimum erit. — Tentemus: —

Synthetismus optime explicat originem Conscientiae.

Illa enim theoria explicat optime originem Conscientiae, quae ipsam nec a sola anima, nec

a solis objectis extra animam positis, sed ab anima auxiliantibus objectis externis provenire statuit; sed talis theoria est synthetismus; nam

Rerum extra nos existentium conscientiam nos habere, est factum omni dubio carens; igitur admitti etiam aliquid debet, sine quo conscientia haec possibilis non est: sed nulla conscientia est possibilis sine subjecto repraesentante, seu anima, et sine objecto repraesentato, sive re extra animam existente.

Quia a) Ut repraesentatio, et conscientia aliqua in me oriatur, debat anima mea aliquo modo affici; quod autem animam meam afficit, debet ab ipsa diversum esse, i. e. debet esse *non ego*, seu res extra animam existens. b) Omnis conscientia origine sua in tempore est empirica; cum certum sit, nullam actualem conscientiam sine repraesentatione possibilem esse, et nullam repraesentationem sine objecto existere posse: objectum autem quodcunque semper primo in tempore datur; igitur *ratio absoluta* omnis conscientiae sita est in anima repraesentante, ita tamen; ut res repraesentatae seu objecta activitatem animae nostrae excitent, qua excitata anima, se ad objectum vertit, se et objectum destinguit, sicque sui, et objecti conscia fit. Adeoque ratio sufficiens, et absoluta possibilitatis conscientiae in anima quidem sita est; sed *conditio* ejusdem *necessaria*, sine qua non, extra animam quaerenda, et in objectis externis reponenda est. Consequenter synthetismus, qui recte hoc statuit, optime explicat originem conscientiae.

His positis facile jam est respondere ad illam momenti magni quaestionem, initio hujus §-i propositam: „*quae sit origo conscientiae in nobis?*" — Nempe: anima nostra natura sua est per se ipsam activa, i. e. se ipsam determinat ad

agendum: ergo etiam eadem est ratio absoluta, seu Principium absolute ultimum omnis repraesentationis, et cognitionis, quod priori Capite probavimus. Quia vero anima nostra ad operandum, seu exercendam suam activitatem incitari debet, et activitas ejus objecto, in quod se exserat, indiget, sequitur; animam nostram per se activam ab objecto realiter existente, a seque diverso incitari, quo observato, se ipsam etiam observat, sui, et objecti conscia fit; atque ita et se, et objectum extra se existere recte judicat.

Scholion.

Ex his, quae de origine conscientiae hucusque diximus, apparet: universim sex tantum esse *systemata philosophica*, tria *in respectu formali*, quae sunt: *Dogmatismus*, *Scepticismus*, *Criticismus;* alia tria *respectu materiali*, qualia sunt: *Idealismus Realismus Synthetismus*; quaecunque vero alia systemata, horum tantum modificationes esse. *Cf. Krugs Fundamentalphilosophie p.* 118. *cum meis Proleg. ad U. Philosoph.* §. *XIV.* Nos respectu materiali Synthetismum, formali vero Criticismum, sed non illum Kantii, profitemur.

CAPUT QUARTUM

de

Criteriis Veritatis Cognitionum.

§. IX.

Notio, et Divisio Criteriorum Veritatis.

Non sufficit *Principia*, *Originemque* cognitionum humanarum scire, sed in ipsarum quoque *veritatem* inquirere est necesse; cognoscendo enim veritatem quaerimus, et hanc assecuti Harmoniae absolutae omnis activitatis animae primo appropinguamus. Ea autem est conditio nostra, ut cognoscendo vel in rebus gravissimis erremus frequentissime, veritatemque cum falsitate confundamus, quin errorem agnoscamus, aut verum a falso discernere queamus; aut igitur semper in errore versabimur, aut cum scepticis inter verum et falsum fluctuabimus, nisi adsint *Indicia* certa, ex quibus, num veritas cognitionibus nostris insit, secure colligi possit. Indicia haec voce a Graecis sumta appellantur *Criteria*.

Criterium Cognitionum proinde est indicium illud, ex quo, an cognitiones nostrae verae sint, intelligitur. — Quia vero *veritas* cognitionum vel *formalis* est, vel *materialis*, et haec vel *probabiliter*, vel *certe* cognoscitur, item quia *certitudo*, qua veritatem perspicimus, vel *absoluta* est, vel *hypothetica*, ista vel *physica*, vel *moralis;* hinc *criterium* quoque *veritatis* cognitionum *formale* vel *materiale*, istud *fallibile*

vel *infallibile*, hoc iterum *absolute*, vel *hypothetice*, i. e. *physice* vel *moraliter infallibile*, seu *sufficiens* esse, jam in Logica innuimus, ubi una veritatis formalis quae sint criteria, indicavimus. *Cf. meam Log.* §§. *XLVI. XLVII. LII.*

Hic loci solius veritatis materialis Criteria, eaque sufficientia, et infallibilia determinanda erunt, qualia universim quatuor numeramus, nempe: *Perspicuitatem*, *Communem Naturae sensum*, *Testimonium sensuum externorum*, *et Auctoritatem*.

§. X.

Perspicuitas.

Illa cognitio dicitur *perspicua*, sive *evidens*, cujus veritas menti tanta claritate relucet, quanta plena luce objecta externa oculis; *e. g. bis duo sunt quatuor.* Cum autem claritatem hanc veritatis cognitionum nostrarum partim immediate, partim mediate acquiramus, *Evidentiam* in *immediatam*, et *mediatam* dividi, et ad illam duas species, unam quae *e sensu intimo* alteram, quae *per solam analysim conceptuum*, *seu ex recta terminorum apprehensione* habetur, pertinere; ad hanc vero, quae *per legitimam demonstrationem* obtinetur, referri, in Logica diximus. *Cf. meam Logic.* §§. *LIII. LIV.*

Propositiones.

1-ma. ***Perspicuitas, quae habetur per sensum intimum, est Criterium Veritatis materialis absolute infallibile.***

Illud namque est Criterium Veritatis materialis absolute infallibile, quod in nullo casu, et

sub nulla conditione potest in errorem inducere: sed Perspicuitas, quae habetur per sensum intimum in nullo casu, et sub nulla conditione potest in errorem inducere; nam

a) Illud absolute nunquam potest in errorem inducere, quod si induceret, aliquid simul esset, et non esset; sed si perspicuitas, quae habetur per sensum intimum aliquando induceret in errorem, aliquid simul esset, et non esset; sensus enim intimus est intuitus in se ipsum, quo anima nostra se, suam existentiam, vires, multiplices functionum relationes, statusque suos contemplatur, et omnia illa, quae in nobis, i. e. in mente nostra immediate contingunt, reflexe considerat: jam si sensus intimus, quando aliquid horum e. g. *statum voluptatis* animae inesse testatur, falleret; sequeretur, eamdem voluptatem animae et inesse, et non inesse: *inesse*; quia illam sentiret, quod autem non est, sentiri non potest: sed etiam *non inesse*; quia sensus intimus hoc testificans ex hypothesi non falleret: jam vero hoc idem est, ac esse simul et non esse: et quod in hoc casu valet, valet etiam in quovis simili, igitur Perspicuitas, quae habetur per sensum intimum absolute nunquam potest decipere. b) Per sensum intimum illa percipimus solum, quae nobis intime adsunt: sed ista tanta claritate pervidemus, ut majoris per naturam nostram nec quidem capaces simus; nam ipsum objectum hujus nostrae cognitionis non aliud est, quam nos ipsi, qui existimus, cogitamus etc. atque sensum intimum habemus: sed impossibile est, ut in his decipiamur, quae tam prope, tantaque cum claritate se nobis manifestant; igitur sensus intimus nunquam nos fallit, consequenter Perspicuitas, quae per ipsum obtinetur, est Criterium veritas materialis **absolute infallibile.**

Solutio Objectionum.

1. Quod saepe etiam in illis, quae per sensum intimum nobis innotescere putamus, decipiamur; non fit hoc vitio sensus intimi, sed nostro, qui ad ejus testimonium non satis attendimus, neque istud ad ea tantum, quae intra animam fiunt, restringimus; observet quis illas leges, quas in logica pro Experientia interna dedimus, de veritate asserti nostri facile convincetur.

2. Exempla somniantium, phreneticorum, aut amentium, qui talia sibi videntur videre, audire, etc. quae re ipsa non vident, non audiunt, contrarium non probant; quamvis enim objecta illa a parte rei non existant, existunt tamen in mentibus ipsorum; hoc autem satis est, ut sua sensui intimo constet auctoritas; objectum namque hujus non sunt res extra animam positae. Quod autem objecta ita re ipsa non existant sicut homines illi opinantur, decipiuntur quidem; sed non per sensum intimum, verum per phantasiam, quatenus phantasmata hujus cum testificationibus illius erronee confundunt, quem errorem sibi restituti illico recognoscunt.

2-da. *Perspicuitas, quae habetur ex analysi Conceptuum, est Criterium Veritatis materialis absolute infallibile.*

Perspicuitas, quae habetur ex analysi conceptuum absolute nunquam potest fallere; nam

Si Perspicuitas, quae habetur ex analysi conceptuum aliquando falleret, idem simul esset, et non esset; assumamus enim propositionem hanc „*Circulus est rotundus*,“ quae immediate perspicua est ex analysi conceptuum, si in hujus veritate cognoscenda falleremur, circulus et esset circulus, quatenus supponitur, et non esset cir-

culus, quatenus e sola notione circuli intelligitur ab ipso rotunditatem nunquam posse abesse, ac proinde id, quod non est rotundum, non esse circulum; jam vero hoc idem est, ac aliquid simul esse, et non esse, et quod de adducto exemplo valet, valet etiam de alio quovis simili. Ergo Perspicuitas, quae habetur ex analysi conceptuum nunquam potest fallere sine contradictione; consequenter est Criterium veritatis materialis absolute infallibile.

3-a. ***Perspicuitas, quae obtinetur per legitimam Demonstrationem est Criterium veritatis materialis absolute infallibile.***

In Demonstratione ***legitima***, et ***stricte dicta***, sicut in Logica vidimus, a) ***Praemissae*** debent esse immediate perspicuae; ***major*** enim agit principium seu regulam, cui propositio ***minor*** per subsumtionem immediate subordinatur; b) inter Praemissa et ***Consequens*** judicium debet esse nexus necessarius, seu talis, vi cujus istud in illis jam implicite contineatur, indeque sponte fluat. Igitur sicut de veritate Propositionum praemissarum immediate certi sumus, ita etiam de veritate nexus ipsarum cum Consequente mediate certi reddimur ita, ut si Praemissae verae sint, Conclusio legitima nunquam negari possit; adeoque Demonstratio legitima nunquam decipit: sed quod tale est, pro Criterio veritatis materialis absolute infallibili recte statuitur; ergo Perspicuitas, quae per legitimam Demonstrationem obtinetur, est Criterium Veritatis materialis absolute infallibile; e. g. ***si cognoscere velim an propositio haec „ens simplex est incorruptibile,“ sit vera; sequens demonstratio pariet mihi certitudinem absolutam: — id quod nullas habet***

partes, non potest corrumpi; corruptio enim fit per resolutionem partium; sed ens simplex nullas habet pertes; ergo est incorruptibile.

Solutio objectionum.

1. Distinguenda ast Demonstratio *late sumta*, seu *Probatio* a Demonstratione *stricte accepta* (*vid. meam Log. p.* 195); in illa enim principii et praemissarum instar sumuntur propositiones adhuc demonstrabiles, imo saepe etiam *hypotheses*, in hac autem tantum propositiones immediate evidentes; unde ista semper suppeditat certitudinem apodicticam, illa vero tunc tandem, si hypotheses evadant theses, aut si praemissae ad principia immediate certa reduci possint, et re ipsa reducantur.

2. Asserta hic a nobis veritas non est intelligenda de qualicunque Perspicuitate, sed de *sincera*, et *genuina*; quod enim Perspicnitas mediata etiam *fallax*, et tantum *apparens* esse possit, ut cetera praetereamus, satis probat vel exemplum eorum, qui demonstrationibus suis decepti, saepe falsa pro veris habuerunt, erroremque suum non nisi serius observantes esmendaverunt. Perspicuitas nempe mediata ut sincera, et genuina sit, praeter illas leges, quas pro ratiociniis, et Demonstrationibus in Logica dedimus, sequentibus characteribus debet esse instructa: — a) *sit durabilis*, i. e. Demonstratio, per quam obtinetur, etsi saepe, attentaque mente examinata, semper eamdem evidentiam retineat; b) *Vivax*, i. e. tanta sit evidentia rationum, ut mens necessario quasi rapiatur in assensum, nec aliter, nisi vim sibi inferendo resistere possit; c) *Universalis*, i. e. non tantum aliqui, sed omnes in illa scientia versati viri vim demonstrationis sentiant, naevumque nullum deprehendant, d) Denique necesse est ut ex demonstratione per legitimam argumentationem nihil falsi exsculpi possit.

§. XI.

Communis Naturae Sensus.

Communis naturae sensus est vis quaepiam omnibus hominibus a natura indita, per quam in iisdem adjunctis ad eadem judicia ferenda inclinantur, et quidem ante omnem demonstrationem. Admonitio hujus vis naturalis, quam quilibet homo nonnunquam interne percipit, vocatur *Vox Naturae*, vel *Dictamen communis sanae Rationis;* illa vero judicia, ad quae ferenda inclinat, *Judicia Communis Naturae sensus* appellantur.

Ut judicia nostra talia dici possint, sequentibus characteribus instructa sint oportet: a) debent provenire ab ipsa natura rationali, et ab institutione, aut quibusdam externis ita sentiendi motivis non dependere. e. g. *a spe vel metu;* b) debent esse *communia*, i. e. talia, quae apud omnes homines, etsi aetate, genio, temperamento, educatione, moribus, et patria inter se discreparent, deprehendantur; c) *Uniformia* i. e. talia, in quae omnes homines ratione vel modicum utentes eodem modo consentiant. d) *Stabilia*, i. e. talia, quae labente tempore, et crescente cultura hominum non deleantur; sed potius confirmentur, juxta illud Tullii: *opinionum commenta delet dies, Naturae Judicia confirmat.*

P r o p o s i t i o n e s.

1-ma. *Existit Communis Naturae Sensus.*

Nam vi principii rationis sufficientis dato rationato debet dari ratio sufficiens: jam vero dan-

tur haud pauca judicia tam theoretica quam practica omnibus hominibus ratione recte utentibus communia, uniformia, et stabilia, quorum ceu rationatorum sufficiens ratio non alia potest dari, quam originaria quaedam naturae nostrae rationalis dispositio, qua in iisdem adjunctis ad eadem omnes judicia formanda inclinamur, etsi non, aut aliter instituti, educatique, etsi nullo affectu spei, metus, amoris, odii ducti. Sane

Si ego ad meipsum reflectam, deprehendo, quod ut primum ratione recte uti novi, mox propenderim a natura ad haec judicia saltem obscure formanda: „*Bonum colendum*, *malum est fugiendum*,“ *illud praemium*, *hoc paenam meretur*, „*anima humana est immortalis*,“ „*existit Numen aliquod supremum*, *quod mundum creavit*, *conservat*, *gubernat*, *et ab homine coli debet*,“ „*parentes sunt honorandi*,“ „*innocens non laedi*, *suum nemini debet auferri*,“ etc.; ergo etiam socii homines, utpote ejusdem mecum naturae rationalis, universim, unanimiter et constanter, ad haec judicia propendeant, est necesse. Sicut enim desiderium verae felicitatis mihi naturale aliis quoque omnibus communem mecum naturam sortitis inesse, rite concludo: ita propensionem ad dicta judicia ferenda mihi innatam aliis etiam hominibus eadem, qua ego, natura rationali gaudentibus, rationeque recte, ut ego, utentibus a natura competere, legitime infero. Sed originaria haec dispositio naturae nostrae rationalis, qua in communi uniformiter ac stabiliter inclinantur homines in iisdem adjunctis ad eadem quaepiam judicia ferenda, vocatur communis naturae sensus; hunc igitur existere tam certum est, quam naturam nos habere rationalem.

Solutio Objectionum.

1. Ea, quae hic diximus, intelligenda sunt de hominibus ratione recte utentibus, hujusque vocem attendentibus, fieri namque posse, ut quidam sceleribus dediti, aut perverse instituti dictamen rationis suae contemnentes, inclinationes etiam suas ad communia cum aliis Judicia ferenda a natura inditas aliquo tempore sopiant; item existere posse ita hebetes, et stupidos, ut percipiendae illius vocis naturae prorsus incapaces sint, negari non potest. Ast hi ad classem hominum ratione utentium referri non possunt; ratione enim non, aut male utuntur, et sicut ex eo, quod multi coeci, et surdi nascantur, aut sua vel aliena malitia tales fiant, inferri nequit, visum, et auditum homini naturaliter non compelere; ita etiam ex eo, quod quidam communem Naturae sensum ob stupiditatem, vel maligne quaesitam ignorantiam in se non experiantur, concludi minime potest, eundem non existere.[1] — Hinc

2. Exempla populorum quorumdam barbarorum per antiquos, et recentiores scriptores, itineratoresque opponi solita nos minime feriunt; aut enim summam stupiditatem hominum horum vere miserorum arguunt, aut erroneam applicationem Judiciorum Communis naturae sensus probant, aut fidem non merentur. *Si primum*; belluis potius, inter quas efferantur quam hominibus erunt aequiparandi. *Si alterum*, habent Judicia cum aliis hominibus communia, sed illa erronee applicant ad praxim; ita e. g. *quidam Americae populi* parentes suos senio confectos tenebant esse honorandos; sed officio huic filiali per hoc putabant se satisfacere, si morbis, quibus parentes vexabantur, per mortem violentam finem ponerent. *Scythae* advenas occidendo non ignorarunt, *innocentem non esse laedendum*; sed falso cogitaverunt, advenam omnem exploratorem, et hostem patriae suae, ac ut ta-

lem nocentem esse. *Spartani* rerum exilium, e. g. *fructuum*, ablationem juvenibus suis concedentes, *furtum* non probarunt; furtum enim ibi habet locum, ubi res aliena invito proprietario aufertur, apud Spartanos autem non proprietas, sed communio erat bonorum, nec invito proprietario fiebat illa ablatio; quia in eam praevie omnes consenserunt, nec denique omnium, sed tantum minutiarum concedebatur ablatio, et haec etiam ita, ut si auferentes deprehendebantur, mascule castigarentur; hoc nempe medio volebat natio haec bellicosa suos jam in aetate tenera in strenuos olim milites praeparare. *Pagani*, et *Idolatrae* etsi plures Deos coluerint, hos tamen omnes tanquam minores uni supremo, Deorum, hominumque parenti subordinaverunt, aut unum, eumdemque Deum sub diversis figuris communiter adoraverunt. Unde sequitur *tertium*, seu scriptores, et itineratores contrarium testantes fidem non mereri; talium enim fere nationum exempla adferunt, quarum nec mores, nec linguam noscentes, quae judicia foverint, colligere non potuerant, aut saepe e levissimis conjecturis defectum Judiciorum Communis Naturae sensus praecipitanter judicabant; ita e. g. ex eo, quod apud quosdam populos nulla conspexerint templa, altaria, et Sacrorum ministeria, aliqui concluserunt hos omni notitia Dei destitui, non animadvertentes populos hos fuisse vagabundos, et sine lege viventes.

3. Non tantum posse, sed re ipsa existere tales, qui ita perverse vivunt, ac si nullum Deum scelerum vindicem agnoscerent, quotidiana tristis experientia loquitur: ast etiam tales existere, aut existere posse, qui existentiam Dei ex intima convictione negarent, merito dubitatur; ita enim propinquus est homini Deus, ut vel suam conscientiam consulenti satis semet manifestet; *mentiuntur* nempe *tales*. (acute observante Seneca) *dum faten-*

tur se non sentire Deum; *nam etsitibi id affirment interdiu, noctu tamen soli ipsi dubitant.*

4. Tametsi Judicia communis naturae sensus per rectam educationem citius, feliciusque evolvantur, et quemadmodum communia esse debent, etiam ex auctoritate humana indirecte, et remote colligantur: soli tamen educationi, aut auctoritati minime innituntur, Nam a) illa, quae unice ab educatione pendent, nec communia, nec uniformia nec stabilia sunt; Judicia autem communis naturae sensus apud omnes, etsi diversam, aut nullam nacti sint educationem, communiter, uniformiter, et stabiliter deprehenduntur b) Quod si unus tantum existeret homo, adhuc experiretur in se inclinationem naturalem ad dicta judicia ferenda; haberet quippe naturam rationalem.

2-da. *Communis Naturae Sensus est Criterium Veritatis materialis absolute infallibile.*

Nam Communis Naturae sensus in nullo casu, sub nulla conditione potest in errorem inducere; quia

Judicia Communis Naturae Sensus sunt omnibus hominibus communia, apud omnes uniformia, et stabilia; ergo Communis naturae sensus non pendet ab arbitrio hominum; nam illa, quae ab arbitrio hominum pendent (cujusmodi sunt e. g. *illa, quae ad modum vestiendi, aut vivendi pertinent*), nec sunt communia, nec uniformia, nec stabilia; igitur fundamentum Judiciorum communis naturae sensus vel est situm in ipsa natura nostra rationali, quatenus eam Auctor naturae ita dispositam condidit, ut illa omnes in iisdem adjunctis ad eadem judicia formanda inclinemur; vel est situm in actione immediata Dei, qua ipse Deus in iisdem adjunctis homines ad eadem Judicia

cia ferenda inclinat: sed sive primum, sive alterum dicatur, Judicia communis naturae sensus falsa esse non possunt. — Non, si dependeant haec Judicia ab ipsa natura nostra rationali; sic enim in Natura nostra darentur contradictiones, erroresque inevitabiles, qui omnes in Deum redundarent, utpote qui naturam nostram ita disposuit, ut haec nos in rebus gravissimi momenti necessario in errorem inducat; in hoc proinde casu Deus foret *auctor mediatus erroris.* Sed nec possunt Judicia communis Naturae sensus falsa esse, si supponantur fundari in immediata actione Dei; nam sic Deus esset *auctor immediatus erroris*, ipse enim immediata sua actione inclinaret nos in hac hypothesi ad judicia falsa ferenda. Jam vero Deus nec mediatus, nec immediatus auctor potest esse erroris, qua sapientissimus, et veracissimus, qualem etsi adhuc hic Eundem non cognoscamus, cogitare tamen necessario, et praesupponere debemus; ergo Judicia communis Naturae sensus in nullo casu possunt esse falsa, adeoque communis naturae sensus qua ratio sufficiens illorum Judiciorum est Criterium Veritatis materialis absolute infallibile. Quod sic quoque confirmatur.

1. Omnes homines Judiciis a communi Naturae sensu profectis securissime acquiescunt, et ipsa absque omni suspicione erroris sequuntur: jam vero in tanta ingeniorum, et morum diversitate perpetuus omnium consensus, pro certissimo charactere, et Criterio Veritatis est habendus: sicut ex opposito diversitas, et pugna sententiarum est certissimus character Falsitatis; nam, ut recte dixit Seneca: *multa dare solemus praesumtioni omnium hominum, apud quos veritatis argumentum est, omnibus videri.* —

2. Ipse Kantius denegans rationi philosophicae e principiis suis theoreticis cognitionem Dei, Libertatis, et Immortalitatis animae humanae, dum veritatum harum, quae maximi certe sunt momenti, *fidem moralem* adstruere conatur, etsi alias in suis *Prolegomenis* communem Naturae sensum dicto illo Horatiano: „*quodcunque ostendis mihi sic*, *incredulus odi*," aperte explodat, ad ipsum tamen vel invitus provocare cogitur. — Fundamentum enim illius fidei moralis istud statuit Kantius: *existunt leges morales absolute obligantes*, *a priori*, *vi rationis purae*, *citra omne incitamentum a felicitate*, *aut voluntate*, *vel potentia Dei desumtum*; veritatem autem hujus sui principii partim e *demonstrationibus clarissimorum Moralistarum*, partim e *judicio morali cujusvis hominis*, *si recte velit cogitare de lege morali*, probat; non significat ne autem hoc ad communem Naturae sensum provocare, et hoc modo veritatem asserti nostri saltem implicite agnoscere? — *Vid. Kants. Kritik der rein. Vernf. S.* 835.

Solutio Objectionum.

1. Dum communem Naturae sensum Criterium Veritatis materialis statuimus, sub ipso non *Intellectum vulgarem*, et *plebejum*, sed *Intellectum*, seu *Sensum communem sanum* significamus; non enim *Intellectus*, seu *Sensus vulgaris* certae tantum classi hominum, scilicet rudium, conveniat, atque vel ex defectu, vel ex vitio culturae enata *naturalis intellectus humani corruptio* sit, hunc pro Criterio Veritatis statui non posse, per se intelligitur; e contra *Sensus communis sanus*, quo non tantum rudes, sed quamcunque magni succes-

sive philosophi ad judicia quaepiam communia ferenda primo inclinatur, quia ipsius *rationis philosophicae* radix est, neque haec illi, quin se ipsam destruat, unquam contradicere possit, merito statuitur pro Criterio Veritatis materialis, dummodo reipsa adesse comprobetur.

2. Si Kantius in sua *Critica r. pur. pag.* 502. Philosophiam *communem* et *popularem* nunquam fore eo sensu praetenderet, quod haec in demonstrandis Veritatibus maximi momenti opinionibus, et sensui plebis nunquam se accomodatura sit, consentientes nos haberet: ast si eo sensu hoc intelligat, quod etsi communis sanus Intellectus Judicia quaepiam communiter, uniformiter, et stabiliter ferat; haec tamen rationi philosophicae *problematica* sint (sicut re ipsa intelligit) Philosophiam talem *transcendentali — idealisticam* ipsi, et sectatoribus ejus relinquimus; ratio enim vere philosophica ex intellectu, seu ratione late sumta communi evolvitur, et perficitur, atque licet haec *Verum* et *Bonum* quasi tantum *sentiat*, illa vero etiam rationes utriusque inquirat; resultata tamen et hujus et illius consentire, et plene eadem esse debent. Ut adeo omnis talis Philosophia (si tamen nomini hoc digna est) quae vel unicum principium dictamine communis sanae rationis oppositum proponit, se ipsam contemtu dignam et suspectam reddat; cum quivis sanae mentis et animi interna voce naturae admonitus contra ipsam obniti omni jure possit, ac debeat. —

3. Sensus Naturae communis Rationis philosophicae judicem agere non potest, neque ipsi in determinando vero, et bono semper, et ubique praeire; hac enim ratione omnis Philosophia simul interiret: verum plenam debet relinquere philosophandi libertatem; cum alioquin Judicia illius, ut pro totidem enunciatis Intellectus communis sani haberi possint, per Rationem etiam philosophicam comprobari debeant. — Quare non recte ille facceret, qui dum Ratione philosophica pugnare, et rationes

rationibus opponere deberet, sine refutandae cujusdam assertionis philosophicae, ad Sensum Naturae communem unice provocaret, non examinando argumenta adversarii, neque asserti sui rationes alias reddendo; sic enim suam tantum proderet ignorantiam, et veritas asserta parum, aut nihil lucraretur, quemadmodum accidit adversariis Humii contra Scepticismum ejus unice ad communem naturae sensum appellantibus.

4. Salva Bonitate, et Sapientia Dei infinita, omnia illa evenire homini possunt, quibus hic a suo fine non abducitur, talia sunt: *mala physica* hujus mundi e. g. *fames*, *bella*, *pestilentiae*, etc. item propensio voluntatis humanae ad malum, integra manente libertate eligendi bonum, talis denique est etiam universalis ignorantia ejus, quod homini scire non interest. — Ast propensio intellectus humani ad judicia quaepiam falsa ferenda, et hinc resultans error universalis in rebus gravissimis, quales sunt existentia Dei, libertas, et immortalitas animae humanae, quia hominem a fine suo abducerent, admitti nequeunt. Nam sicut certum est, quod Deus hominem providentia singulari complectatur (ut hoc suo loco evincemus) ita certum debet esse, quod mediorum ad finem hominis necessariorum, nec ignorantiam, nec erroneam applicationem universim permittere possit.

5. Axiomati illi: *Veritas non est querenda in multitudine*, etiam penes nostrum assertum sua constat veritas. Neque enim a) veritates sublimiores, aut evolutas, suisque rationibus stipatas (quales non nisi doctioribus patent), sed obvias, obscure, et implicite tantum perceptas, quin principia ipsarum perspiciantur, quaerimus in multitudine; neque b) per multitudinem intelligimus promiscuam solum, ignaramque plebem, sed universos homines ratione sua, quin stricte philosophentur, communiter, et sane utentes.

6. Judicia, quae de *antipodibus*, *politheismo*, *influxu siderum in actiones humanas etc.* opponi solent, characteribus Judiciorum communis Naturae sensus nongaudent; mirum proinde non est, ea hodie jam ut falsa rejici, *opinionum* enim *commenta delet dies*, *naturae vero judicia confirmat.*

§. XII.

Testimonium Sensuum Externorum.

Sensum externum illum esse ramum cognoscitivae facultatis humanae, universim sumtae, quo anima rerum extra se positarum repraesentationes immediate sibi efformat, et pro ratione organorum sensoriorum in *Visum*, *Auditum*, *Gustum*, *Odoratum*, et *Tactum* dividi, jam in Prolegomenis Philosophiae didicimus; — hic illud solum videndum est, quid per Testimonium Sensuum externorum intelligatur, ad quae se istud extendat, et an sit Criterium Veritatis materialis? —

Mutationes illae animae nostrae, quae dum res extra se positas ope sensuum percipit, in ipsa exoriuntur, appellantur *Testimonium Sensuum externorum*, ideo; quia de rebus extra nos positis, inpressionibusque per has in organa Sensuum factis, mentem quasi commonent, ipsique testimonium perhibent.

Testimonio huic Sensuum externorum promiscue fidem adhibere non possumus; saepe enim *nullum*, saepius *fallax*, aut *dubium* est. — Nullum datur Testimonium sensuum externorum saepe; nam a) Sensus externi non docent, in quo

consistat essentia, et natura vera objectorum, neque manifestant, in quo sint sitae corporum qualitates, aut quae sint eorum proprietates necessariae, et universales: sed unice annunciant, corpora quaedam extra animam existere, quasdam vires, et proprietates prodere, et certis mutationibus esse obnoxia, ex his deinde, qua totidem datis singularibus ratio colligit naturam, vires, proprietates, et mutationes universales, necessariasque omnium corporum, e. g. *lapidem quempiam extra me existere coloratum, gravem, fragilem et extensum mobilemqae esse, sensibus percipio: sed quae sit universim natura lapidis, in quo consistant ejus qualitates, et quae sint vires, proprietatesque omnis lapidis, haec non sentiendo, sed ratiocinando cognosco.* b) Sensus externi nihil testantur de partibus corporum minimis, imo saepe nec de integris corporibus, quae vel ob suam exilitatem, vel ob nimiam distantiam, etiam acutissimam aciem oculorum aut quorumvis aliorum organorum sensoriorum effugiunt; e. g. *quanta objecta detegit Astronomus per sua telescopia oculis liberis impervia? quanta animalcula, quasve partes corporum deprehendit Physicus, Anatomus, Botanicus, et Chemicus subsidio microscopiorum, aliorumque instrumentorum, secus penitus incognita?* c) Sensus externi non docent, qualemnam faciant impressionem objecta in sensus aliorum hominum; hoc enim pendet plurimum a conformatione, et dispositione organorum sensorium, quae in diversis hominibus est diversa: e. g. *Cibus, qui uni sapit, alteri dissipit, liquor uni dulcis, alteri amarus, odor alteri gratus, ingratus alteri est.* — Sed saepius fallax etiam, et dubium est sensuum externorum Testimonium; certissime enim constat, frequenter

non talia esse reipsa objecta externa, qualia nobis sensus externi testantur; e. g. *baculum aquae immersum, qui re ipsa rectus est, oculi exhibent curvum, sol moveri, et terra stare videtur, etsi ratio contrarium probet, saltem hactenus.*

Quare, ut per Testimonium Sensuum externorum certo constet, an inter repraesentationes nostras ope sensuum externórum acquisitas, harumque objecta nexus realis adsit, id est, ut Testimonium sensuum externorum Criterium infallibile Veritatis Materialis cognitionum empiricarum agere possit, debet esse *legitimum*; tale vero erit, si ad *leges* illas, quas in Logica pro *Experientia externa* statuimus, fuerit exactum, ut adeo leges illae, qua totidem conditiones, et characteres legitimi Testimonii sensuum externorum possint, ac debeant considerari.

P r o p o s i t i o.

Testimonium sensuum externorum legitimum est Criterium Veritatis materialis physice infallibile.

Criterium Veritatis materialis physice infallibile dicitur, quod stantibus legibus Naturae sensibilis fallere non potest: sed Testimonium sensuum externorum legitimum tale est; etenim

1. Quemadmodum de Origine Conscientiae, et Repraesentationis omnis agendo probavimus, ad repraesentationem quamvis, et conscientiam efficiendam anima qua subjectum, et res ab anima distincta qua objectum praerequiritur, ita, ut anima sit ratio sufficiens repraesentationis, conscientiae, et per hoc cognitionis omnis, objecta

vero conditio sine qua non; igitur etiam repraesentationes nostrae sensuales praeter animam qua subjectum, res extra animam sitas, qua objecta requirunt, ita, ut si haec re ipsa non adsint, repraesentatio sensualis nulla oriatur. Jam vero objecta externa non aliter concurrunt ad efficiendam repraesentationem, nisi quatenus in sensus nostros agunt: actio autem agentis existentiam, vires, et cum his connexas proprietates infallibiliter probat; igitur Lex Naturae physica est: *„quid quid sensus externi de objectis extra nos positis legitime testantur, hoc ipsis objectis re ipsa inesse, adeoque etiam materialiter verum esse debet.“* Ergo stante hac lege suprema Naturae sensibilis, impossibile est, ut sensus externi rite adhibiti in testificanda existentia, viribus, et proprietatibus rerum extra nos positarum seu corporum decipiant.

2. Finis sensualitatis nostrae theoreticae est accurata cognitio eorum, quae sub sensus cadunt; cum enim homo ut ens sensitivo-rationale mundi quoque sensibilis pars sit, et qua talis cum aliis rebus mundanis necessario connectatur, harum notitia ad finem suum ultimum obtinendum opus habet: sed finis hic impossibilis foret, si Testimonium sensuum externorum etiam legitimum fallax esset; igitur vel contradictiones in natura nostra sensuali admittere, vel Auctorem ejus supremum impie carpere, vel sensus externos rite adhibitos nunquam decipere, statuere debemus.

3. Omnis homo ratione sana utens non tantum ipse secure acquiescit Testimonio legitimo sensuum externorum, sed etiam alium, qui rerum illarum, quas quopiam sensu percepit, existentiam negat, vel in dubium vocat, insanire censet; nec putamus efficacius posse nos aliquem convincere de veritate quapiam, quam dicendo, rem a

nobismet visam, aut palpatam fuisse. Igitur a natura incitamur, ad assentiendum Testimonio sensuum externorum legitimo, sed ad quod a natura ducimur, id sicut priori §o. probavimus, falsum esse non potest; ergo Testimonium sensuum externorum legitimum stantibus legibus Naturae physicis non fallit, est proinde Citerium veritatis materialis physice infallibile.

Solutio Objectionum.

1. Quod sensus externi soepe fallant, hoc non eorum vitio; sed nostro contingit, qui ipsorum Testimonium aut non rite attendimus, ant plus justo extendimus: neque sequitur hinc aliud, quam quod non omne, sed tantum legitimum Testimonium sensuum externorum sit Criterium veri. — *Homini* quidem *mendaci*, cujus exemplo instare solent adversarii, communiter non credimus, ideo, quia non habemus certa indicia, e quibus pro determinato casu judicari posset, num verum velit dicere: sed an sensus externi quidpiam legitime testentur, ex illis legibus, quas in Logica proposuimus §. LXIII. levi negotio dijudicatur; quamquam homini alias etiam mendaci tunc fides dari possit, cum constat ipsum non potuisse mentiri.

2. Hoc quidem est verum, repraesentationes phantaticas, aliosque solius imaginationis partus saepe ut veras repraesentationes sensuales nobis apparere, et his frequentissime nos decipi: sed illusio haec pluribus viis detegi potest, nempe si plures sensus in subsidium vocentur, si alii quoque sanis sensibus praediti consulantur, si consuetus ordo Naturae attendatur, etc.

3. Etiam hoc est procul dubio, quod per situm corporum, et media intercedentia, e. g. per aërem, nubes, aquam, vitrum multae *opticae*, per vitia corporum, et

motus contingentes organorum sensoriorum multae *organicae*, ac denique per nimiam vivacitatem phantasiae, affectiones animae vehementes, celeresque idearum associationes non tantum in insanis, et somniantibus, sed etiam in sanis et vigilantibus multae *psychologicae apparentiae* enascantur. — Ast a) jam vel sola animadversio talium illusionum manifestum est argumentum ejus, quod sensus externi rite adhibiti non fallant. b) Inter imaginationes, phantasmataque somniantium, insanorum, vel quorumcunque aliorum, et inter veras sensationes magnum intercedit discrimen, facileque observabile; aliter enim afficimur, dum e. g. ignis manum adurit, aliter dum idem tantum imaginamur: item, phantasmata somniantium, aut amentium, vel morbidorum alii vigilantes, et sani rident, imo ipsi quoque sibi restituti vana esse agnoscunt: e contra res illas, quas sensus externi testantur, etiam labente tempore pro veris habemus, imo ab aliis quoque sanis ut tales probantur.

4. Per *Omnipotentiam*, quam ratio philosophica de Deo cogitare nos jubet, absolute fieri posse, ut repraesentationes sensuales ab ipso Deo immediate sine actione objectorum externorum in anima efficiantur, negari non potest: sed *ordinarie*, i. e. stante lege illa suprema Naturae sensibilis id fieri non posse, aeque certum est; neque enim Deus potest a legibus Naturae, utpote suis, pro suo arbitrio recedere, nisi id fines altiores exigant, quemadmodum hoc in Cosmologia docebitur. Hoc proinde tantum hinc sequitur, quod Testimonium sensuum externorum etiam legitimum non sit Criterium veritatis *absolute*, sed tantum *hypothetice* infallibile; nos vero plus non asserimus vel tunc, quando veritatem Propositionis nostrae e communi Naturae sensu probamus; sensus enim hic Naturae haud dicit absolute, sed physice tantum certum esse, quod sensus annunciant.

5. Quemadmodum sic dictae *qualitates primariae* corporum e. g. *impenetrabilitas*, *extensio etc.* de quibus in Cosmologia recurret sermo, pro meris apparentiis organicis haberi non possunt: ita non possunt etiam *qualitates secundariae*, ad quas *colores*, *soni*, *odores*, *calor*, *frigus etc.* referuntur; sicut enim ex parte corporum aliquid est, quod per suam in organa visus et tactus actionem impenetrabilitatis, extensionis, figurae, motus etc. sensationes in anima excitat: ita etiam in iis aliquid adesse necesse est, quod vi sua cetera organa sensoria impellens, colorum, sonorum etc. sensationes in mente progignat. Neque propterea nullum est inter qualitates corporum discrimen; cum primariae ad *stabilem* corporum *essentiam*, secundariae vero magis ad *mutabilem* eorundem *naturam* pertineant, illasque duobus, has non nisi unico sensu percipere valeamus.

6. Si quis corpora, eorumque proprietates hoc sensu dicat *esse Phaenomena tantum*, quod quid illa in se independenter a nostra facultate cognoscitiva sint, non sciamus, neque ope sensuum absolutam eorumdem naturam cognoscamus (sicut Realistae volunt) huic non repugnamus; ne enim illa, quae supra de Origine Cognitionum diximus, hic repetamus, abhorret a natura mentis nostrae quidpiam cognoscere independenter a facultate cognoscitiva, deinde repraesentationes de corporibus, horumque proprietatibus pro diversitate mediorum, organorum, et subjectorum sentientium variari certum est; neque proprietates inhaerent corporibus, ut subjectis absolutis, sed ut aggregatis partium extra se positarum, utpote ex quarum diversa compositione, et cohaesione producuntur.

§. XIII.

Auctoritas.

Nimis curta, insufficiensque foret suppellex cognitionum humanarum, si ea tantum, quae quis propriis sensibus expertus est, et non etiam illa, quae aliorum testimoniis nituntur, comprehenderet; nemo namque potest omnia facta, eventusque experiundo ipse cognoscere, quorum tamen cognitione opus est ad recte judicandum, et agendum. — Ideo ceteris modis cognitiones rerum acquirendi *Experientiam* quoque *alienam*, seu *Testimonium* jam in Logica adnumeravimus.

Quia vero Testimonio alieno non semper inest veritas; cum non tantum Testes decipi, decipereque possint, sed etiam nos in dijudicanda eorum fidei dignitate, discernendisque Testimoniis, multis ex rationibus errare possimus, vel universali *scepticismo historico* subscribere, vel criterium quoddam statuere debemus, quo in hoc cognitionum genere universim regamur, et ab erroribus custodiamur.

Rationem illam, propter quam aliorum Testimoniis assensus datur, *Auctoritatem*, hancque *divinam*, vel *humanam* esse in Logica diximus; an, et quale utraque sit criterium veritatis materialis? hic jam determinandum est. *Auctoritatem divinam*, si re ipsa interveniat, nulli absolute dubio locum relinquere, esse proinde criterium veritatis materialis absolute infallibile, inde patet; quod

Fundamenta omnis Auctoritatis secundum principia logica sint *scientia*, et *veracitas* Testium; sed in Deo adest scientia, et veracitas omni exceptione major; ratio enim philosophica Deum

Ens perfectissimum, una ut omniscium, et veracissimum cogitare debet, et quod talis re ipsa sit probabimus in Theologia: jam vero, qua omniscius, in iis, quae nobis testatur, falli, et ut veracissimus fallere non potest; igitur cum in Deo adsit summa scientia, et veracitas, adest quoque summa, seu absolute infallibilis auctoritas; sed si sic, Auctoritas divina est Criterium veritatis materialis absolute infallibile. — Hinc, si ex indubitatis argumentis constet in re quacunque Testimonium divinum vere intercessisse, huic nemo nisi impius poterit unquam fidem non habere.

Ast *Auctoritas humana*, ut veritatis cognitionum nostrarum criterium agere possit, non qualiscunque, sed *plena* esse debet. Proinde praeter momenta illa, quae ut totidem requisita credibilitatis Testimonii humani in Logica certis legibus complexi sumus, his adhuc characteribus debet esse instructa: — a) Factum, quod homines narrant, debet esse ejusmodi, quod a quovis sanis sensibus praedito sufficienter cognosci potuerit, qualia sunt e. g. *incendia*, *inundationes*, *bella etc.* b) Testes debent esse tam multi, ut pro illis circumstantiis plures jure desiderari non possint. c) Tales debent esse, in quos nulla suspicio mutui consilii cadat. Hinc d) diversae aetatis, nationis, conditionis, et quidem oculati sint, oportet. e) Testimonium debet esse *constans*, et *uniforme; constans* erit, si Testes labente etiam tempore testificationi suae inhaereant, nec eam unquam retractent; *uniforme* vero erit, si adminus in *essentialibus adjunctis facti* referendis inter se Testes conveniant, etsi in *accitendalibus* confligant. — Haec si omnia adsint.

Auctoritas humana plena est Criterium Veritatis materialis moraliter infallibile.

Illud enim est Criterium veritatis materialis moraliter infallibile, quod salvis prudentiae humanae, et Naturae moralis legibus fallere non potest: sed Auctoritas humana plena talis est; nam

1. Fundamenta cujusvis Auctoritatis sunt: scientia, et veracitas Testium; igitur si in Auctoritate humana plena adest sufficiens scientia, et veracitas Testium, non potest illa fallere: sed ita est;

In Auctoritate humana plena adest a) *sufficiens scientia Testium*; nam ad Auctoritatem hamanam plenam efficiendam, sicut praenotavimus, necesse est, ut factum quod narratur, tale sit, quod a quovis sanis sensibus praedito sufficienter cognosci potuerit, item Testes debent esse plures, diversae aetatis, nationis, et conditionis, atque plerumque oculati; jam vero his omnibus praesentibus impossibile est deesse sufficientem cognitionem rei narratae, nisi dicere velimus homines tot, talesque repente sensibus destitui, aut desipere, quod, spectatis prudentiae humanae legibus, dici non potest. — Sed b) adest etiam *veracitas Testium;* cnm enim juxta commune axioma, *nemo sit sine causa mendax*, si in Auctoritate humana plena non adesset varacitas deberet adesse causa quaepiam, quae Testes multos diversae aetatis, nationis, conditionis etc. ad mentiendum alliceret: sed in Testes tot, talesque causa eadem mentiendi non cadit, diversorum quippe diversae solent esse causae mentiendi, et spectata natura morali hominum fieri non potest, ut omnes unanimiter in transgressionem legis moralis mentiendo conspirent. Igitur in Auctorita-

te humana plena, cum et sufficiens scientia, et veracitas Testium adsit, moraliter loquendo impossibile est, ut per ipsam in errorem inducamur.

2. Communis Naturae sensus nos jubet acquiescere Auctoritati humanae plenae; nam

Auctoritas humana quandoque talis est, ut citra notam insaniae rejici non possit: jam vero nisi communis Naturae sensus impelleret ad credendum Auctoritati humanae plenae, posset illa semper rejici citra notam insaniae: igitur communis Naturae sensus cogit nos credere Auctoritati humanae plenae. — Sane, qui animo deliberato et constante aliorum Testimoniis fide dignis acquiescere detrectaret, omniaque suis sensibus immediate explorare vellet, si non insanus, saltem multis necessariis destitutus, vere miser esset. *Ego e. g. Romam nunquam vidi, existere tamen ita certe teneo, sicut Pesthinum, quod incolo, et quotidie frequento; fide dignum enim aliorum Testimonium tanti mihi ponderis est, quanti sensuum propriorum testificatio.* — Ita nempe sapienter prospectum est homini, ut sensationes ipsius aliorum testificationibus adjuventur, et per socios homines deducatur in cognitionem veritatis, quam ipse officio propriorum sensuum adipisci non valet.

3. Si nec Auctoritas humana plena esset criterium veritatis materialis infallibile, actum esset de felicitate hominis; cujus tamen desiderium cuilibet nostrum a natura inditum est;

Si enim notitia rerum absentium, et praeteritarum, Auctoritati humanae superstructa, fallax est; tollitur Religio revelata, quae tota quanta nititur factis historicis; dissolvuntur Societates civiles; quarum quaelibet rerum praeteritarum cognitione dirigitur; poterunt Leges, et Constitutiones Regnorum convelli, poterunt Principum

legitimorum Majestates, et Imperia everti, poterunt privatorum quorumvis Jura quaecunque, et Praerogativae impune invadi; in hoc namque casu nullus amplius supererit justus titulus, quo quis proprietates suas possit defendere. — Jam vero consequentiae hae sunt perniciosae, quae omni felicitati, tranquillitatique humanae ruinam pararent; igitur Auctoritas humana plena fallere non potest, est itaque Criterium veritatis materialis moraliter infallibile.

Solutio Objectionum.

1. Ex eo, quod homines singuli intellectum limitatum, et voluntatem pravis affectionibus obnoxiam habeant, ac proinde et falli et fallerė possint, hoc tantum sequitur, quod non quaevis Auctoritas humana, sed quae suis characteribus instructa *plena* dicitur, sit criterium veritatis infallibile.

2. Inde, quod, sicut singuli homines, ita etiam plures, vel omnes simul sumti ob easdem rationes in natura humana fundatas, decipi, et decipere absolute possint, hoc unice potest deduci: quod nec Auctoritas humana plena sit criterium veritatis *absolute*, sed tantum *hypotheticae* infallibile, quo plus nec nos asserimus.

3. Quia *mortalitas* est praedicatum essentiale naturae humanae, recte a singulis hominibus ad omnes etiam collective sumtos extenditur: e contra, quia *errare*, aut *mentiri* non est praedicatum essentiale, sed tantum contingens Naturae nostrae, a singulis hominibus ad totam eorum collectionem concludi nequit; nisi in naturam nostram, hujusque Auctorem injurii, et ipsi etiam communi Naturae sensui reluctantes esse velimus, quo experimur nos inclinari ad secure et sine omni suspicione erroris assentiendum Auctoritati humanae plenae, quandocunque

que haec adesse sufficienter comprobari potest. — Utrum autem

4. In casu quopiam singulari, et determinato praesto sit Auctoritas plena, etsi decidere negotium difficultatis, et periculi plenum sit: sufficienter tamen id cognosci potest partim per experientiam propriam, et siquidem Testimonium scriptum sit, e scriptis, partim per Testimonium aliorum fide dignorum. — Quod nempe *sinceritatem Testium* attinet, tamquam unum elementum Auctoritatis, experimur, a natura esse nos propensos ad veritatem dicendam, ita, ut mentiri non velimus, nisi aliqua affectione spei, vel metus abrepti; nemo enim est frustra malus; igitur si nulla adest ratio, cur ad mentiendum induci potuerint Testes, et insuper complures, aetate, indole, natione, conditione etc. diversi consentiant, stante *indole morali* naturae nostrae fieri nequit, ut contra naturalem propensionem ad verum, conspirent in mendacium. — Neque ex eo, quod fieri non possit, ut ad falsum dicendum universim conspirent homines, timendum est quidquam libertati humanae, omnes enim maxima voluntate in verum testandum conspirabunt.

5. Veritatem *factorum antiquorum* certissime cognoscimus per seriem continuam Testium sibi succedentium, praeprimis si facta haec sunt *publica*, qualia sunt *e.g. diluvium, migratio Gentium, mutationes Regnorum etc.*; talis enim series Testium inde a facto quopiam antiquo ad nos usque decurrens, considerari potest ut *catena* aliqua, cujus primus annulus ipsam facti Originem, ultimus vero nostra tempora attingit: sic autem nullum potest assignari tempus, in quo error potuisset irrepere; non in prima generatione, quia in ea erant Testes coaevi, et oculati; non in secunda, quia hic filii convixerunt parentibus, qui errorem aut fraudem observando continuo reclamassent; idem dicendum est etiam de tertia, quarta, et subsequis generationibus. —

Non est igitur major certitudo primae generationis quam secundae, neque hujus quam tertiae, et sic porro; consequenter certitudo de veritate factorum qualis est ab initio, talis manet semper; tantum quod primae generationis vivacior sit quam secundae, et remotiorum; e. g. *extitisse s. Stephanum primum Regem Hungariae, ex lectione, et aliena narratione eadem certitudine teneo, qua ii, qui olim ipsius conspectu fruebantur; et qua certitudine mihi constat, Franciscum feliciter regnantem modo Hungariae praeesse, eadem poterit constare venturis quoque posteris; etsi factum prius in antiquos coaevos, quam in me, posterius vero in me, quam in venturos fortiorem, vividioremque faciat impressionem,* —

6. Non potest dici, quod factum antiquum ita se habeat ad facultatem nostram cognoscitivam, sicut objectum remotum ad oculos. Nam objecta videntur per radios lucis ab ipsis in oculos incidentes; hinc, quia quo magis distat objectum, eo pauciores possunt ab ipso in oculos derivari radii, eo etiam minus illud videtur: e contra, quia facta antiqua per non interruptam seriem Testium fide dignorum, adeoque per *lineas traditionales*, quae ad unum quasi punctum tendunt, cognoscuntur, eadem certitudine constant nobis, qua facta praesentia. — Deinde, etiam si similitudo haec valeat, sententiae nostrae nihil derogat; sicut enim adhibitis perspectivis rite videntur etiam objecta remota, ita ope Auctoritatis humanae vere cognosci possunt etiam facta antiqua, adhibitis nempe subsidiis Auctoritatis, qualia sunt: *constans traditio, monumenta publica, documenta, inscriptiones, numi, aedificia etc.*

7. Dum solam Auctoritatem humanam plenam statuimus pro criterio infallibili veritatis historicae, aliis Auctoritatibus minus plenis fidem penitus non detrahimus; pro ratione enim momentorum, quibus fidei dignitas Te-

stium plus minusve nititur, diversos dari gradus Auctoritatis, et cuivis suam propriam magis minusve probabilem competere fidem ultro concedimus; ast ad sufficientiam criterii infallibilis Auctoritatem plenam necessariam esse contendimus.

Corollarium.

a) Cum ex hucusque dictis manifeste appareat, Veritatem quamvis materialem suis constare criteriis, scepticismus nova hinc ratione in fundamentis convellitur, ut adeo dicere jam cum *Platner* liceat: *Scepticos, qui ex animo sunt, non monitoris, aut ductoris, sed custodis ab judice dati egere; Vid. ein Gespräch über den Atheismus.*

b) Quia cognitiones humanae spectata materia multiplices sunt, et quarumvis veritas distinctis criteriis partim a sensibus, partim a Ratione, partim ab Auctoritate desumendis gaudet; non datur *Criterium universale veritatis materialis;* si namque aliquod tale foret, hoc applicabile esse deberet ad omnia objecta cognitionis nostrae, ita, ut cujusvis cognitionis cum suo objecto consensio, seu *Veritas materialis* ex illo universim determinari possit: hoc autem est impossibile; sicut enim diversa sunt genera objectorum: ita etiam diversis ex indiciis potest eorum cum nostris repraesentationibus, cognitionibusque consensio dijudicari; nisi quis confundens notiones diversas, per *riterium veritatis materialis Principium absolute ultimum cognitionum* intelligere velit, quod quatenus possit *universale*, et *unicum* dici, *Capite secundo* significavimus.

METAPHYSICAE PURAE
PARS ALTERA
ONTOLOGIA.

Est et alia Philosophiae Primae pars, — — receptaculum axiomatum — — inquisitio de Ente, et Conditionibus Entium transcendentibus.

Baco Verulamius.

CAPUT PRAELIMINARE

De

Ente, et Praedicatis ejus in Genere.

§. I.

Notio Entis, et Praedicatorum ejus.

Summus Conceptus, quem intellectus efformare potest, et notio *Entis*. *Ens* nempe *latissime sumtum* omne id comprehendit, quod repraesentari, et cogitari universim potest, etsi nondum existat, solumque id quod irrepraesentabile, seu contradictorium est, excludit; unde istud *non ens* appellatur. *Ens* vero *stricte acceptum* denotat ea, quae sunt realia, et positiva, seu meris ideis, et defectibus opposita. *Ens* denique *in sensu strictissimo*, alias *eminente* est *substantia metaphysica*, seu id, quod non in alio, aut per alium, sed per se existit. Quare character Entis stricte, et strictissime accepti in ejus *existentia*, et *substantialitate* positus est, nec *peculiari* aliqua rei existentis, aut per se subsistentis *affectione*, sed ejus *totalitate*, et *integritate* continetur, e, g. *Mons aureus est ens in sensu latissimo*,

quia etsi non existat, cogitari tamen potest. Mons Aegidius Agriae est ens in sensu stricto, realiter enim existit. Anima humana est ens in sensu eminente; non est quippe modificatio, aut resultatum corporis, sed per se subsistit. — Quia vero Ontologia e notione sua de omni eo, quod est, aut esse potest, agere, et *Principia* seu *Leges cognoscendi universales* eruere debet, hic notio Ens sumitur universim, seu in *sensu latissimo*.

Praedicata Entis sunt notae illae universales, et necessariae, secundum quas tamquam totidem leges primitivas, et fundamentales quidquid existit, cognoscitur; cum enim ad Cognitionem in genere requiratur, ut varia, seu notae objectorum per subjectum cognoscens aliquo modo in conscientiam assumtae, et unitae ad objecta referantur (§. *I. Archol.*), et de his *praedicari* possint; idcirco notae tales, quae de quibusvis objectis universaliter, et necessario enunciari possunt, recte appellantur *Praedicata*, vel *Praedicamenta Entis*, aut a Greca voce *κατηγορίαι Categoriae*, vel denique *Leges originariae necessariae, et universales omnis Cognitionis humanae:* non quasi in primitiva indole animae praeformatae notiones, aut formae subjectivae, purae, a priori, solumque ab anima objectis superadditae notae essent; sed quia Praedicatis his, deductisque ex illis veritatibus anima humana in cognoscendo tamquam totidem legibus universim dirigitur, et necessario, quarum quidem legum ratio absoluta sita est in anima, ut subjecto cognitionis omnis, conditio tamen necessaria in rebus extra animam positis, seu objectis cognitionis continetur. Sicut hoc vel ex illis, quae de Origine Cognitionum in Archologia (Cap. 3.) diximus, satis elucet.

§. II.

Origo historica, et divisio Categoriarum.

Categoria est substantivum Graecum derivatum a verbo *κατηγορειν - praedicare.* Termino hoc utebantur Graeci primo in foris judicialibus, idemque ipsis significabat, ac *accusatio;* cum nempe actor coram judice reum accusaret, praedicatum aliquod ipsi tribuebant, e. g. *est fur*, *latro*, *calumniator etc.* Postea terminus iste a philosophis quoque in usum vocabatur, philosophi scilicet veteres in parte rationali Philosophiae, quam *Dialecticam* dixerunt, cum viderent multa esse, maximeque varia, quae disseri, et enunciari de quopiam, aut quibusdam tamquam subjecta materia possent; ea revocare conati sunt ad certas classes, et communes locos, quos appellarunt *Categorias*, seu *Praedicamenta*, eo quod de aliquo, vel aliquibus praedicarentur. *Vid. Cic. L.* 4. *QQ. Tusc. C.* 9. — Categoriae igitur ex mente veterum philosophorum non praedicata generalia rerum quarumvis continebant, sed imprimis ea, quae de homine quodam, aut quibusdam possent enunciari, quod ipsum Categoria *situs*, seu *stare*, *sedere*, et Categoria *Habitus*, seu esse *tunicatum*, *armatum etc.* declarant. Sed deinceps vocabula, quae illas continebant latius explicata, atque extensa fuere ita, ut sub Categoria vel integra series, aut ordo praedicatorum ad genus aliquod summum pertinentium, vel ipsa genera summa intelligerentur. Numerabant vero Peripatetici duce Aristotele decem

Categorias (fortasse quod numerus denarius post Pythagoreos ipsis perfectissimus videretur) hoc ordine semet excipientes: ***Substantia***, ***Quantitas***, ***Qualitas***, ***Relatio***, ***Ubi***, ***Quando***, ***Situs***, ***Habitus***, ***Actio***, ***Passio***. Ad decem has Categorias quinque adhuc successu temporis accesserunt, uti: ***Oppositum***, ***Prius***, ***Simul***, ***Posterius***, ***Motus***, quae ***Postpraedicamenta*** dicta sunt.

A peripateticis antiquis theoria haec migravit ad Scholasticos, qui Categorias decem Aristotelicas sequente Carmine comprehendentes „***Arbor***, ***Sex***, ***Servos***, ***Ardore***, ***Refrigerat***,“ ***Ustos***, ***Ruri***, ***Cras***, ***Stabo***, ***nec Tunicatus ero***, de iisdem in sua ***Topica*** multa subtiliter commentati sunt, non tam ex investigatione naturae, et experientiae ductu, quam enucleando vocabula, et varie dividendo, nec tam veram cognitionem, quam speciem amplam eruditionis consectando. Hinc factum est, quod recentiori aetate, cum natura, et vera rerum cognitio magis sollicite quaereretur, Categoriae in honore esse ita desierint, ut prope earum nomen oblivioni fuerit datum. — Solus ***Dariesius***, qui plura ex Philosophia scholastica cum Leibnitiano Wolfiana conjungere studebat, in ***Logica*** sua Categorias denuo resuscitavit, et ad sequentes octo reduxit: ***Quis***, ***Quid***. ***Ubi***, ***Quibus auxiliis***, ***Cur***, ***Quomodo***, ***Quando?***

Alio prorsus modo considerat Kantius Categorias. Hic omnem cognitionem humanam ad limites experientiae restricturus, et veritates theoreticas de Deo, ejusque perfectionibus, anima humana, mundique origine problematicas effecturus, Categorias novo plane apparatu, sed diverso consilio, atque usu, quam a veteribus factum erat, revexit, hisque totum id se exhausisse gloriatur, quo humanus intellectus omni sua vi

pertingere potest. Non autem decem more Aristotelico, sed duodecim ponit Categorias, in quatuor classes dispertitas, secundum quadruplicem Judiciorum formam, *quantitatem*, *qualitatem*, *relationem*, et *modalitatem* ita, ut in singulis classibus Categoriae tres consistant, et quae in binis prioribus classibus sunt, *Mathematicae*, quae in posterioribus binis, *Dynamicae* vocentur, sequentique ordine semet excipiant:

a) Categoriae *quantitatis: Unitas*, *Pluralitas*, vel *Multitudo*, et *Omnitudo*, seu *Universalitas.*

b) Categoriae *qualitatis: Affirmatio*, seu *Realitas*, *Negatio*, et *Limitatio.*

c) Categoriae *relationis: Substantia*, *et Accidens*, *Causa*, *et Effectus*, *Communio*, seu actio mutua inter id, quod agit, et id, quod patitur.

d) Categoriae *modalitatis: Possibilitas et Impossibilitas*, *Existentia*, et *Non existentia*, *Necessitas*, et *Contingentia.*

Originem, indolem, et usum harum Categoriarum omnes hodierni transcendentales philosophi, ne iis quidem exceptis, qui secus a Kantio recedunt, istis positionibus determinant: — a) Categoriae sunt formae purae intellectus, ob quas solas appellatur intellectus *purus.* b) Sunt verae notiones originariae, quae non derivantur e notionibus aliis, sed ex quibus aliae derivantur, quae quidem sic derivatae nuncupari possunt, *Praedicabilia* ut distinguantur ab ipsis Praedicamentis, seu Categoriis. c) Eaedem penitus independentes sunt ab experientia, in qua frustra origo illarum quaeritur: utiliter tamen occasio, qua provenire solent, investigatur. d) Etsi hae

formae ab experientia non deducantur, tamen deprehenduntur in eadem, et per eam illustrantur, atque ad experientiam solam applicari possunt; quia sine intuitu sensuum inanes sunt, expertes veritatis realis, merusque lusus phantasiae, aut intellectus. e) Ad cognitionem objecti duo requiruntur, nempe notio, seu Categoria, cujus ope de illo cogitamus, et intuitus sensuum, quo objectum datur; si enim notioni nullus intuitus responderet, ea non esset, nisi cogitatio quoad formam, sed absque omni objecto, neque res ulla vi illius notionis cognosci posset. Hinc f) quia ad cognitionem objecti sensus, et intellectus una collaborare debent, ut ope Categoriarum quidpiam cognosci queat, debent illae cum *intuitibus puris sensuum*, nempe *Spatii* et *Temporis* connecti, et quia hanc connexionem sensus internus cum intellectu perficit, sensus autem interni forma est *intuitus purus Temporis*, cui etiam illa, quae sub formam Spatii cadunt, seu externe percepta sunt, universim subjiciuntur; hinc Categoriae semper debent connecti cum intuitu puro Temporis, et sic connexae vocantur *Schematisatae* a voce Graeca σχημα, *habitus*, *figura*, *species;* ideo, quia hac ratione figuram sensualem adipiscuntur. — Categoriae igitur unice hunc usum praebent, ut possibiles sint cognitiones empiricae, atque in his sita est *Experientia.*

Quod vero numerum, et ordinationem Categoriarum attinet, quoad haec tabulam Kantianam imperfectam esse, jam *Platner* senserat, ideoque illa rejecta, aliam Tabulam Categoriarum adornavit (*L. Amphorism. P.* 1. §. 653. 656.). — Sed quia nec haec carebat suis naevis recentissimi praeeunte *Krugio* numerum, et ordinationem Categoriarum sic definiunt; — a) Categorias *le-*

gicas, et *metaphysicas* distinguendo, per illas intelligunt quasvis repraesentationes, quae ad objecta *cogitationis* ut notae referuntur: Categorias autem *metaphysicas* in sensu srictiori accipiendas, et illas repraesentationes originarias esse volunt, quae tamquam totidem notae, seu praedicata in indole ipsius facultatis cognoscitivae fundata, ad objecta *cognitionis* referuntur. Quia vero b) penes quamvis talem relationem *Realitas* objecti cognoscendi praesupponitur, ita, ut de omni objecto percepto, priusquam de ipso aliquod judicium formetur, dici debeat: *tu es quidpiam reale*, ideo *Realitatem* in systematica Theoria universae facultatis cognoscitivae primo omnium loco collocandam, et *Archicategoriam* appellandam esse contendunt, Hinc c) reprehendunt Criticam Kantii, quod haec Realitatem aliis conceptibus intellectis puri annumeraverit, et ipsam Categoriis qualitatis subordinaverit; si enim, inquiunt, Realitati non altior significatio competat, quam repraesentationibus *Unitatis*, *Pluralitatis*, etc. resultatum speculationis non aliud poterit esse, quam purus Idealismus. d) Etiam hoc vitio vertunt Kantio, quod Aristotelicas Categorias resuscitans, e numero harum excluserit *Categorias Sensuum*, et solas *Categorias intellectus* adducat; ubi tamen *simultaneitas*, seu esse in spatio, *successivitas*, seu esse in Tempore, et *simultanea successivitas*, seu esse in Spatio, et tempore ita sunt universalia, et necessaria praedicata objectorum cognitionis, sicut Categoriae intellectus. Quare e) rejecta Tabula Kantiana Categoriarum, sequentem proponunt:

I.

Archi - Categoria.

Realitas.

esse.

II.

Categoriae Sensualitatis.

1.	2.
Simultaneitas	***Successivitas.***
esse in Spatio	***esse in Tempore.***

3.

Simultanea Successivitas.
esse in Spatio, et Tempore.

III.

Categoriae Intellectus.

a.)	b.)
Quantitatis Categoriae.	Qualitatis Categoriae.
1. *Unitas.* *unum esse.*	4. *Positio.* *esse cum quadam qualitate.*
2. *Multitudo.* *multum esse.*	5. *Negatio.* *non esse positum.*
3. *Omnitudo.* *omne s. totum esse.*	6. *Limitatio.* *limitatum esse.*

c.) Relationis Categoriae.	d.) Modalitatis Categoriae.
8. *Substantialitas.* *subsistens esse.*	11. *Possibilitas.* *possibile esse.*
9. *Causalitas.* *activum esse.*	12. *Existentia.* *existens esse.*
10. *Communio.* *mutuo activum esse.*	13. *Necessitas.* *necessario esse.*

Nos *originem*, *indolem*, et *usum* Categoriarum, i. e. an veras ipsarum rerum notas exhibeant, et rebus etiam supra sensus positis conveniant, vel vero sint tantum merae facultatis cognoscitivae formae nativae, intuitus, aut conceptus puri alios in unitatem ipsis convenientem connetentes, solumque ad objecta sensuum applicabiles, praeter illa, quae partim in *Introductione ad Metaphysicam* §. *IX.* partim in *Archologia C. III.* generatim attigimus, ex genesi, et indole singularum sequentibus tractatibus, quantum necesse fuerit, eruemus.

Quod autem ad *numerum*, et *ordinationem* Categoriarum pertinet; seposito nomine *Categoriae*, de Praedicatis Entium agemus; et haec *interna*, et *externa* dividemus. *Praedicata interna* illa vocamus, quae Enti cuidam in se spectato, i. e. quin cum alio comparetur, conveniunt: *Praedicata autem externa* dicimus, quae ex comparatione Entis cujusdam cum alio eruuntur, unde etiam *relativa* audiunt. Praedicata interna subdividimus in *communia* et *disjunctiva;* illa sunt, quae omnibus et singulis Entibus conveniunt: haec vero sunt, quorum alterutrum tantum competit cuilibet Enti.

CAPUT PRIMUM

De

Praedicatis Entium Communibus.

Praedicata Entium communia, aliis etiam *universalia*, vel *collectiva* dicta, nos sequentia numeramus: *Possibile*, *Determinatum*, *Unum*, *Ordinatum*, *Verum*, et *Perfectum*.

§. III.

Possibile.

I.

Notio, et divisio Possibilis.

Possibile in genere est, quod non involvit contradictionem; quod vero contradictionem involvit, *Impossibile* dicitur.

Contradictionem involvere illud dicitur, cujus notae inter se pugnant, i. e. altera alteram tollit ita, ut non tantum simul esse, sed nec quidem simul repraesentari possint, e. g. *Circulus quadratus;* hinc *contradictio* recte sic definitur, *est ejusdem de eodem sub respectu simultanea affirmatio, et negatio;* ut adeo *vera* contradictio tunc tantum adsit, cum idem praedicatum de eodem subjecto, sub eodem respectu, eodem tempore et affirmatur, et negatur; e contrario si vel unum horum desit, contradictio tantum *apparens* erit. Contradictio *vera* vel est *aperta*, vel *occulta*.

ta. — Contradictio *aperta*, alias *patens* est, quae e sola terminorum apprehensione intelligitur, e. g. *totum est minus sua parte:* contradictio vero *occulta*, alias *latens* est, quae ratiocinando evolvitur, e. g. *virtus est scelesta.*

P r o p o s i t i o n e s.

1-ma *Nullum ens potest involvere veram contradictionem.*

Ad hoc, ut quidpiam Ens possit dici, debet vel re ipsa, seu *objective*, vel saltem in mente, seu *subjective* existere, i. e. cogitabile esse: sed quod veram contradictionem involvit, non tantum re ipsa existere, sed nec quidem cogitari potest, ut per se patet; igitur nullum Ens potest involvere contradictionem. — Hinc Ens quodvis *aliquid*, seu adminus repraesentabile esse debet, et tantum respectu alterius existentis appellatur *nihilum:* ex adverso quod nec repraesentari potest, est *non ens*, et relate ad illud quod repraesentari potest, quodque *nihilum positivum* dicitur, appellatur etiam *nihilum negativum.* — Veritas haec fundamentalis Ontologiae, quam non tam probavimus, quam declaravimus, est notum illud *Principium contradictionis*, quod jam in Logica qua *supremam legem cogitandi*, praecipuumque *criterium veritatis formalis* proposuimus; unde Principium hoc non tantum in Logica, sed et Metaphysica suum habere usum nova ratione apparet; neque enim modus cogitandi tantum, sed illud quoque, quod cogitatur, et cognoscitur a contradictione liberum esse debet; contradictorium quippe seu non ens nec cogitari, nedum cognosci potest. *Cf. meam Log. §. VII. XLVII.*

2-da. *Omni Enti e notis contradictoriis alterutra convenire debet.*

Nullum enim Ens potest contradictionem involvere: sed si Enti cuidam e notis contradictoriis alterutra non conveniret, istud contradictionem involveret; vel enim utraque conveniret, et sic adesset aperta contradictio, vel neutra conveniret, et sic adesset occulta contradictio, quatenus una nota negata altera implicite affirmaretur, et vice versa; e. g. *Mundo e duabus his notis, aeternitas, nonaeternitas, alterutra tribui debet; sicut enim repugnat mundum esse aeternum, nonaeternum: ita etiam implicat eumdem nec esse aeternum, nec non aeternum; cum quemadmodum in priori casu altera nota alteram explicite tollit: ita in posteriori, negata una nota, altera simul implicite ponatur;* igitur omni Enti e notis contradictoriis alterutra convenire debet. — Veritas haec altera fundamentalis Ontologiae vocatur *Principium exclusi medii*, seu *tertii*, scilicet *inter duo contradictoria*, adeoque hujus usus ex iisdem rationibus non potest restringi ad solam Logicam, ex quibus Principii contradictionis. *Cf. meam Log. l. prius cit.*

3-tia. *Omne Ens est id, quod est.*

Si ens aliquod non esset id, quod est, esset simul, et non esset illud Ens; esset, prout supponitur; non esset tamen, quia sibi perfecte non consentiret: sed hoc pugnat cum Principio contradictionis, e. g. *virtus est virtus; quia secus et esset virtus, et non esset, quod repugnat.* — Veritas haec *Principium Identitatis* audit, et etiam sic solet exprimi: *omne Ens est secumipso idem, A=A.*

4-ta. ***Notae cujuslibet Entis consentire debent.***

Nulli Enti possunt convenire notae contradictoriae (***Prop.*** 1-***ma***)***;*** ergo notae cujuslibet Entis inter se consentire debent, i. e. quemadmodum nullum Ens potest cogitari, nisi per notas consentientes : ita nulli Enti vere existenti possunt aliae notae inesse, quam quae inter se consentiunt; e. g. ***sicut cogitare non possum circulum, nisi rotundum, ita re ipsa rotundus tantum potest existere circulus.*** Veritas haec appellatur ***Principium consensus***, seu ***convenientiae***, quod, quia a Principio contradictionis in eo tantum differt, quod hoc negative, illud vero affirmative enuncietur, ejusdem cum isto usus est.

Possibile et Impossibile dividitur in ***logicum***, et ***reale***, istud in ***absolutum***, et ***hypotheticum***, hoc vero in ***physicum***, et ***morale.***

Logice possibile est, quod legibus cogitandi non repugnat, seu cogitari potest; unde ***possibilitas logica cogitabilitas*** quoque vocatur: quod vero cogitari nequit, est ***logice impossibile; e. g. mons aureus possibilis, circulus quadratus impossibilis logice est.***

Realiter possibile est repraesentatio, cui objectum respondet, seu id quod cognosci potest; hinc etiam ***Cognoscibilitas*** dicitur: quod vero cognosci non potest, ***realiter impossibile*** est; ***e. g. Deus est realiter possibilis, quatenus non tantum cogitari, sed et cognosci potest; pons vero lapideus in Danubio ad Pestinum est realiter impossibilis; cogitare enim ipsum possum, sed huic cogitationi meae objectum a parte rei non respondet.***

Absolute possibile est, quod in se spectatum non involvit contradictionem: quod vero jam in se spectatum notas repugnantes habet, est ***ab-***

solute impossibile; unde possibilitas, et impossibilitas absoluta etiam *interna*, vel *metaphysica* appellatur; e. g. *ut Cajus nunc indoctus evadat olim doctus, est possibile: ut autem circulus sit quadratus est impossibile absolute.*

Hypothetice possibile est, quod non tantum in se, sed nec in nexu cum aliis spectatum involvit contradictionem; quod autem in se quidem non, sed si cum aliis connexum sit, repugnat, est *hypothetice impossibile;* e. g. *ut arbor aestate fructificet, est possibile: sed ut idem hyeme contingat, est impossibile hypothetice*, alias *externe, relative.*

Physice possibile est, quod cum viribus naturae consentit: quod vero has excedit est *physice impossibile;* e. g. *mors hominis est possibilis, resuscitatio autem mortui ad vitam est impossibilis physice.*

Moraliter possibile est, quod salva lege morali fieri potest: quod autem lex moralis non admittit, est *moraliter possibile;* quamquam *in sensu vulgari moraliter impossibile* dicatur, quod cum difficultate: *moraliter vero possibile*, quod sine hac fieri potest; e. g. *ut homo pius quaerat divitias est possibile: sed ut avarus sit, est impossibile moraliter.* Ex his notionibus intelliguntur sequentes.

Propositiones.

1-ma. *Quod est logice possibile, non est hoc ipso etiam realiter possibile.*

Nam logica possibilitas consistit in sola cogitabilitate rei, quatenus quidpiam legibus cogitandi non repugnat: sed potest cogitari aliquid

quin cogitationi seu conceptui objectum vere existens respondeat, sic e. g. *possum cogitare divitias, quin illas actu possideam:* aliud est, si in possibilitate logica jam contineatur ratio sufficiens possibilitatis realis, sicut hoc obtinet in Deo, cujus possibilitas logica cogitari nequit, quin una possibilitas realis cogitetur, ut postea videbimus.

2-da *Quod est logice impossibile, nequit esse realiter possibile.*

Realis possibilitas sita est in cognoscibilitate rei: sed ad cognoscibilitatem rei praevie requiritur ejusdem repraesentatio, seu cogitabilitas (§. *I. Archol.*); ergo quod cogitari non potest, nec cognosci potest: sed quod cogitari non potest est logice impossibile; ergo vera est propositio. — Ex his intelligitur possibilitatem logicam esse conditionem necessariam possibilitatis realis, et quidquid est realiter possibile esse quoque logice possibile; e. g. *quia circulus quadratus jam in conceptu repugnat, cognoscibilis non est.*

3-tia. *Absolute impossibile non potest esse hypothetice possibile.*

Absolute enim impossibile est, quod in se spectatum praedicata contradictoria habet; igitur si haec praedicata permaneant, prout sunt, in perpetuum sibi contradicent, adeoque in quovis casu, sub quacunque hypothesi unum tollit hoc, quod alterum ponit: sed hoc pugnat cum principio contradictiones; e. g. *fingatur qualiscunque hypothesis, mons tamen sine valle nunquam erit possibilis.* Veritas haec ita late patet, ut

ipsam etiam *Causalitatem infinitam* limitet; si enim possibilitas externa rerum in activitate hujus Causalitatis reponatur cum antiquis, possibilitas interna ut conditio necessaria illius activitatis adesse debet, cum nec vis infinita possit illa efficere, quae interne impossibilia, seu vere contradictoria sunt.

4-ta. *Hypothetice impossibile non est semper absolute impossibile.*

Hypothetice namque impossibile est, quod in nexu cum aliis habet praedicata contradictoria; sed si nexus iste tollatur, tolletur etiam contradictio, hac vero sublata succedit possibilitas interna; e. g. *ut fructus hyeme crescant, est hypothetice impossibile propter nexum cum frigore; ast, si arbore in calidum cubile illata nexus ille tollatur, poterunt fructus crescere etiam hyeme.*

5-ta. *Absolute impossibile, admittere gradus nequit.*

Nam absoluta impossibilitas consistit in pugna praedicatorum alicujus Entis in se spectati; igitur praedicata illa se invicem destruendo Ens reddunt non-ens, seu nihilum negativum: sed nihilum negativum majus vel minus seu gradus non admittit; e. g. *dicendo* 2—2, 1000—1000 *idem nihilum exprimo; sicut enim duae quantitates positivae per duas negativas, ita mille positivae per mille negativas penitus eliduntur.*

6-ta. *Nec absolute possibile admittit gradus.*

Absoluta enim possibilitas efficitur per concordiam praedicatorum Entis internorum: sed haec concordia major vel minor esse nequit, cum vi principii identitatis omne ens sit id, quod est; e. g. *quia possibilitatem internam hominis duarum harum notarum animalitas et rationalitas concordia constituit, non magis vel minus est unus homo interne possibilis, quam alter.*

7-ma. *Hypothetice possibile, admittit gradus.*

Hypothetice namque seu externe possibile est, quod neque in nexu cum aliis repugnat: jam vero quo plura sunt talia Entia, cum quibus alterum connecti potest, istud eo magis erit possibile externe; e. g. *ut juvenis probus corrumpatur, eo magis est externe possibile, quo cum pluribus malis sociis conversatur.*

8-va. *Hypothetice quoque impossibile admittit gradus.*

Hypothetice impossibile est, quod in nexu cum aliis repugnat: sed quo plura sunt talia Entia, cum quibus unum aliquod consistere non potest, eo magis istud est impossibile externe; e. g. *juvenem in sua probitate persistere eo magis est impossibile externe, quo plura adit pericula virtutis.*

9-na. *Quod moraliter impossibile est, non est propterea physice impossibile.*

Moraliter enim impossibile in sensu vulgari dicitur, quod sine magna difficultate fieri non

potest, in sensu vero proprio, quod stante lege morali repugnat: jam vero, etsi cum difficultate, aut violata lege morali, potest aliquid esse viribus naturae consentaneum: quod vero tale est, vocatur physice possibile; e. g. *etsi Cajus ex indocto difficulter evadat doctus, potest tamen id fieri adhibita majori industria; licet Sempronius bene moratus neminem laedat, potest tamen hoc, neglecta reverentia legis moralis, facere.*

10-ma. *Quod physice impossibile est, moraliter possibile fieri nequit.*

Physice impossibile est, quod viribus naturalibus consentaneum non est: sed quod viribus naturalibus alicujus Entis consentaneum non est, hoc eidem lege morali praeceptum esse, aut prohibitum nequit; quod vero tale est, moraliter possibile non est, nisi impossibilitati physicae aliunde succuratur; hinc est notum illud principium practicum: „*ad impossibilia nemo obligatur*"; e. g. *quia ad perfectum sanctitatem assequendam nullae hominis vires sufficiunt, appropinguare tantum ad Ideale sanctitatis* (*Deum*), *non autem hoc adaequare mortalibus est moraliter possibile.*

II.

Leges in dijudicanda Possibilitate, et Impossibilitate observandae.

a) Non est hoc ipso impossibile, quod nobis tale videtur; cum enim non semper cognoscamus omnia, quae ad rem perfecte intelligendam re-

quirerentur, neque rem omni ex parte examinemus, contradictio, quam *veram* putamus, *apparens* tantum est, et accuratiore indagatione instituta disparet. Hinc

b) Cavendum est, ne *impossibile* cum *incomprehensibili* confundatur; multa enim non comprehendimus, quin ideo sint absolute impossibilia, seu non entia, multa percipere, distincte repraesentare, et *quomodo* existant, concipere non valemus, quae tamen vere existunt. Deus nempe solus omnia comprehendit: homo vero, qui omnia comprehendere se ait, et quae non intelligit, impossibilia in se pronunciat, si non stultitiae, saltem temeritatis est arguendus; *sic e. g. Mysteria sic dicta Fidei possibilia esse alia occassione probabimus; licet quomodo sint possibilia, non comprehendamus.* Interim

c) Quod nobis impossibile non videtur, non est illico pro possibili declarandum; potest enim fieri, ut instituto severiore examine, habitoque respectu ad leges logicas, physicas etc. contradictio *aperta* detegatur, quae prius *occulta* latebat.

d) Ubi contradictionem, seu absolutam impossibilitatem non est reperire, sed tamen possibilitas dubia est; prudentis est, vel penitus non judicare, vel negative tantum enuntiare „*impossibilitatem non invenio.*“

e) *Realiter impossibile* caute debet discerni ab *absolute impossibili;* multa enim excedunt horizontem cognitionis humanae, quae non tantum vere possibilia, sed et re ipsa existentia sunt.

f) *Possibilitas realis* non est restringenda ad sola objecta perceptibilia; cognitiones enim

humanas limitibus experientiae non concludi, jam in *Introductione ad Metaphysicam*, et per *Tractatus Archologiae* satis dictum est.

g) Sicut quaevis repraesentationes humanae, ita etiam possibilitas et impossibilitas, omnesque notiones ontologicae origine sua prima empiricae (§. *VII. Arch.*); neque solum ad phoenomena, sed et ad noumena sunt applicabiles (§. *IX. Introd.*), *vide insuper ed. m. op. primam, in qua haec singillative demonstrantur.*

§. IV.

Determinatum.

I.

Notio Determinati.

Determinare generatim idem est, ac e duobus praedicatis contradictoriis Enti cuidam alterum attribuere, alterum denegare; unde *Ens determinatum* illud dicitur, cui e praedicatis contradictoriis unum convenire, alterum non convenire statuitur. — Ens illud, cui quodnam e praedicatis contradictoriis conveniat, aut non conveniat, non statuitur, *indeterminatum*, illud, cui unum e praedicatis contradictoriis potest convenire, *determinabile*, illud denique, de quo, quaenam e praedicatis pluribus contradictorie oppositis universim conveniant, constat, *omnimode-determinatum* appellatur. — Ratio illa, ex qua intelligitur, quare Enti e praedicatis contradictoriis unum conveniat, non autem alterum, *ra-*

tio determinans, praedicata vero, quibus Ens determinatur, *determinationes* vocantur; *e. g. objectum hoc Cicero, quatenus non statuo num sit existens, vel non, indeterminatum, quatenus potest existere vel non, determinabile, quatenus existentiam ipsi tribuo determinatum, denique quatenus omnes notas compossibiles ipsi adtribuo, omnimode determinatum erit: ratio autem, quare haec, et non alia praedicata conveniant Ciceroni, ratio determinans, praedicata tandem ipsius determinationes sunt, uti e. g. existens, homo, Consul Romanus, princeps oratorum etc.*

II.

Divisio Determinationum.

Determinationes Entis vel sunt *positivae*, vel *negativae*. Determinatio *positiva*, alias *Positio*, vel *Realitas* est praedicatum affirmativum Entis: determinatio vero *negativa*, alias *Negatio*, vel *Defectus* est praedicatum negativum Entis; illa nempe ponit in Ente, haec vero ex eodem aliquid aufert; *e. g. eruditio in Cajo est realitas, ignorantia vero defectus.*

Realitas talis, quae videtur tantum aliquid ponere in Ente, re ipsa autem tollit, vocatur *apparens*, aut *Vanitas*, *e. g. paupertas:* ita etiam Negatio, quae videtur tantum aliquid tollere ab Ente, sed re ipsa ponit, *apparens*, vel *cryptica* (occulta) *realitas* dicitur, *e. g. independentia.*

Realitas vera vel est *pura*, vel *mixta*. Realitas *pura*, alias *illimitata* est, quae nullam negationem, seu defectum habet sibi adnexum: quod si autem quispiam defectus ipsi adhaereat, appellatur *mixta*, vel *limitata; e. g. intellectus in-*

homine est realitas limitata, habet enim limites, ultra quos assurgere nequit: e contrario in Deo est realitas illimitata, Deus enim omnia cognoscit. — Hinc defectus, qui realitatibus adhaerent, dicuntur *Limites*, *Limitationes*, *Termini*, ut adeo hae notiones absentiam ulterioris realitatis indicent. Ens nullam admittens limitationem, seu, cui omnes, et solae purae realitates insunt, est *Ens illimitatum*, *Ens realissimum*, *Reale absolutum*.

Propositiones.

1-ma. Duo praedicata sibi opposita se semper reciproce determinant, et praedicatum nullum est possibile sine opposito.

Ubi aliqua Realitas ponitur, ibi ex parte excluditur Negatio, et ubi ponitur Negatio, ibi ex parte excluditur Realitas; sic *e. g. libertas concipitur tantum per necessitatem, et necessitas tantum per libertatem, veritas per falsitatem, et falsitas per veritatem intelligitur.*

2-da Ubi Limites sunt, ibi simul sunt Realitas, et Defectus.

Ubi limites sunt, ibi necessario aliquid limitatur: id vero quod limitatur est Realitas, et Limites sunt Defectus, igitur ubi limites sunt, ibi simul sunt Realitas, et Defectus.

3-ia Defectus solum per Realitatem cogitari potest.

Quivis defectus, seu Negatio, aliquid limitare seu pro parte negare debet; ergo hoc aliquid pro

parte Realitas est, de qua quidpiam negatur; defectus itaque tantum supponendo Realitatem cogitari potest.

4-*ta.* ***Nulla tamen Realitas, qua Realitas, involvit Negationem.***

Omnis Realitas vel est pura, vel mixta; sed neutra harum involvit Negationem. Non Realitas *pura e* notione sua, non *mixta*, nam etiam haec, si in se spectetur, abstrahitur a Defectu, quocum alias connectitur, et consideratur, ut vera Realitas, nihil proinde negativi, sed merum positivum includit.

5-*ta.* ***Nulla Realitas, ut Realitas contradicit alteri ut Realitati.***

Cum Contradictio sit ejusdem de eodem sub eodem respectu simultanea affirmatio, et negatio (§. III.), haec ibi non habet locum, ubi non adest Negatio: sed nulla Realitas ut Realitas involvit Negationem (*Prop.* 4.); ergo nec contradictionem. Hinc in quacunque compossibilitate Realitatum nec unicum potest reperiri membrum negativum.

6-*ta.* ***Ens realissimum est possibile.***

Ens enim realissimum nullos admittit Limites; quia nonnisi Realitates habet, nonnisique Realitatibus constans potest cogitari: sed merae Realitates sibi contradicere non possunt (*Prop.* 5.), quod vero contradictionem non involvit, est possibile; igitur Ens realissimum est possibile. Utrum existat quoque? dein suo loco respondebimus.

III.

Divisio ulterior Realitatum.

Realitates, praeter allatam jam divisionem, multas adhuc alias admittunt.

a) Aliae sunt *absolutae*, aliae *relativae.* — Realitas *absoluta*, alias *interna* est, quae potest in Ente repraesentari, quin referatur ad alia: illa vero Realitas, quae concipi sine comparatione cum aliis nequit, est *relativa*, vel *externa*, seu *Relatio*, *e. g. eruditio in homine absoluta, magnitudo vero relativa realitas est.*

b) Aliae sunt *propriae*, aliae *communes.* Realitas *propria*, alias *Proprietas* est, quae uni tantum, et nulli alii Enti convenit: si autem aliis quoque conveniat, *communis* vocatur; e. g. *rotunditas in circulo est propria; animalitas vero homini et bruto communis Realitas est.*

c) Realitates *internae* subdividuntur in *necessarias*, et *contingentes.* Realitates *necessariae* alias *immutabiles* sunt, quae ab Ente separari non possunt, quin ipsum tollatur: aliae autem realitates internae, quae ab Ente etiam abesse possunt, quin illud desinat esse, quod est, sunt *contingentes*, *mutabiles*, *Modi*, vel *Modificationes; e. g. rationalitas in homine necessaria, eruditio vero contingens Realitas est.*

d) Realitates *necessariae* rursus vel sunt *originariae*, vel *derivativae. Originiariae*, alias *primitivae* sunt, quae tamquam primi fontes et rationes omnium reliquarum Determinationum Entis considerantur; *derivativae* vero, alias *secundariae*, vel *Attributa* sunt, quae tamquam rationata intelliguntur e primitivis, indeque necessario fluunt; e. g. *rationalitas in homine origi-*

naria, *facultas cognoscendi derivativa Realitas est.* Denique

e) Quaevis Realitates vel sunt *logicae*, vel *metaphysicae.* Illae sunt, quae cogitando tantum ponuntur in Ente unde etiam *conceptus affirmativi* vocantur: hae vero sunt, quae Enti re ipsa inhaerent, hinc etiam *Realitates in sensu stricto sumtae*, seu *verae* possunt dici, cum priores *ideales* tantum sint; e.g. *eruditio*, *quam de Cajo tantum cogito*, *est logica*, *quatenus ipsi re vera convenit*, *metaphysica realitas est.* Quia vero Realitates logicae subjecto tantum, metaphysicae vero objectis quoque cognitionis insunt, illae *subjectivae*, hae *objectivae*, dicuntur.

IV.

Essentia Entis.

Complexus omnium determinationum internarum necessariarum originariarum et derivativarum est *Essentia Entis* in genere; ideo Realitates necessariae Entis *essentiales* vel *Essentialia*, et originariae quidem *Essentialia constitutiva*, derivativae autem *essentialia Consecutiva* etiam compellantur. Cum autem determinationes simul sumtae hoc efficiant, ut Ens sit id, quod est, et non aliud, recte dicitur Essentia etiam id, per quod Ens est illud quod est, et non aliud.

Essentia Entis dividitur in *logicam*, et *metaphysicam.* Essentia logica nobis est complexus determinationum ad conceptum Entis necessariarum in mente solum nostra existens, unde etiam *idealis*, vel *subjectiva* appellatur: Essentia vero *metaphysica* est complexus determinationum ne-

cessariarum Enti extra repraesentationem nostram existenti re ipsa convenientium; hinc *realis*, *objectiva*, aut *absoluta* quoque audit. Ab hac distinguimus Essentiam Entis *physicam*, per quam complexum proprietatum rei singularis, sensu perceptibilium, non omnium, sed tantum illarum, quae ipsi ab aliis distinguendae, et ad certam speciem referendae sufficiant, intelligimus.

P r o p o s i t i o n e s.

1-ma. *Essentia cujuslibet Entis sita est in complexu omnium determinationum necessariarum. Nam*

Essentia Entis generatim est id, per quod Ens hoc potius est, quam aliud, seu quo posito intelligitur Ens potius esse hoc Ens, quam aliud: sed positis determinationibus necessariis omnibus, hisque inter se connexis intelligitur tantum Ens hoc esse, quod est, et non aliud; si autem determinationes necessariae aut non omnes, aut non connexae ponantur, cur Ens hoc potius sit, quod est, et non aliud, intelligi nequit.

2-da. *Essentiam Entium logicam noscimus. Quia*

Ad perspiciendam Essentiam *logicam* non aliud requiritur, quam cognitio notarum seu praedicatorum, Ens aliquod in conceptu determinantium: jam vero talia praedicata plene cognoscimus; sunt enim producta intellectus nostri; sic e. g. *sensualitas et rationalitas determinant Ens istud homo; constituunt itaque Essentiam ejus lo-*

logicam, seu in conceptu, concipio videlicet hominem esse Ens sensitivo-rationale.

3-*a Essentiam quoque physicam noscimus.*

Essentia enim Entium physica absolvitur per tales determinationes aliquot, sensu quopiam perceptibiles, quibus res quaedam singularis ab aliis discernitur: sed tales proprietates distinctivae per sensus rite cognoscuntur; sic e. g. *percipientes corpus illud coeleste, hujus magnitudinis, hujus motus apparentis, illud lucidum, calorificum etc. vocamus solem, et complexum harum notarum Essentiam solis physicam dicimus.*

4-*a Essentiam Entium metaphysicam perfecte quidem non noscimus; sed nec penitus ignoramus.*

Qui namque Essentiam metaphysicam Entium penitus noscere vellet, objecta sibi cum omnibus ipsis convenientibus internis necessariis determinationibus repraesentare deberet: sed hoc sortis humanae non est; reflectendo enim ad intellectum nostrum deprehendimus tales ipsi esse positos limites, qui ei non nisi imperfectam, unilateralem, et fragmentariam cognitionem vel objectorum experientiae admittunt: quod autem objecta illa attinet, quorum cognitionem ratio suppeditat, horum omnes determinationes necessarias eo minus cognoscimus; quo certius est hominem suum *non plus ultra!* attigisse, quam primum ad cognitionem, quod objecta ejusmodi existant, aliquotve determinationibus necessariis sint praedita, pervenit; ergo Essentiam Entium realem perfecte non noscimus. *Ast nec penitus ignoramus;* etenim,

1. Ad nos ipsos, Entiaque extra nos posita attendendo, deprehendimus, praeter determinationes illas, quae pro diversitate adjunctorum in Entibus variant, et jam adesse, jam abesse possunt; ideoque *contingentes* dicuntur, inesse iisdem alias penes quamcunque mutabilitatem perseverantes, et nunquam, donec Ens manet id, quod est, absentes. *Scimus e. g. lapidem quantumvis secus mutetur, donec lapis manet, extensionem, impenetrabilitatem etc. habere debere:* sed determinationes tales, quae ab Ente abesse nunquam possunt, *necessariae* sunt, complexus autem ipsarum Essentiam constituit; igitur cum aliquas necessarias determinationes Entium noscamus, Essentia eorundem realis homini penitus incognita regio non est.

2. Essentias Entium logicas noscimus; ergo etiam metaphysicas saltem ex parte noscere debemus; nam a) quod absolute aliter cogitari non potest, hoc et realiter ita esse debet; igitur si conceptus alicujus Entis tantum per has et non alias notas potest determinari, notae hae utpote totidem determinationes essentiales ipsi Enti inhaerentes debent considerari; b) quaevis nostra repraesentatio, ne vacua sit, aliquid *subjectivi*, et plurimum *objectivi* continere debet (*Cap. 3. Archol.*); igitur si sub eo, quod objectivum est, quidpiam constans, et invariabile deprehendatur, istud merito pro determinatione rei essentiali habetur; e. g. *postquam Cajum aliter cogitare absolute non possum, nisi ut Ens sensitivo-rationale, duas has notas ad Essentiam ejusdem realem pertinere jure omni pronuncio.* Ergo si Essentiam logicam alicujus Entis existentis nosco, Essentiam quoque ejusdem realem saltem parte quadam noscere debeo.

3. Fatentibus philosophis Kantianis, ex operationibus alicujus Entis jure arguitur ejusdem *Substantialitas*, etsi haec sensu non percipiatur: sed substantialitas ex eorumdem philosophorum sententia est Essentia realis Entis; ergo si substantialitatem Entium cognoscere possumus, ipsam quoque Essentiam realem aliquatenus cognoscimus. *Vid. Krug's Metaphysik p. 93. etc. Gerlachs Grundr. Metaph.* §. 49. 50. — Igitur non scimus quidem, quid Entia in se absolute, seu penitus independenter a facultate nostra cognoscitiva sint, neque Essentiam eorum *absolutam*, (quod solius Dei est) noscimus: quid tamen sint Entia respectu nostri scimus, et sic Essentiam quoque eorumdem *relativam*, i. e. realem saltem aliquatenus cognoscimus. Plus autem nobis necessarium non est; sufficit enim Entia noscere, quid illa respectu nostri vere sint, quid autem in se absolute sint, penitus perspicere velle, et superfluum et temerarium est.

5-ta. *Omne Ens aliquatenus est determinatum.*

Omne Ens debet habere Essentiam adminus logicam, saltem enim possibile esse debet: Essentiam autem costituunt imprimis determinationes originariae (veteribus *primi conceptus*), ex his tamquam rationibus sufficientibus intelliguntur determinationes secundariae seu attributa tamquam rationata; igitur quodvis Ens habet suam Essentiam, et essentialia, consequenter aliquatenus est determinatum.

6-ta. *Omnes determinationes, quae Enti cuidam insunt, connexae sunt inter se.*

Nam Determinationes cujusvis Entis universim sunt: Essentialia constitutiva, consecutiva,

modi, et relationes: sed ista omnia sunt in quovis Ente inter se connexa.

a) Connexa sunt inter se *essentialia constitutiva;* haec enim habent idem et commune rationatum, nempe Essentiam: sed Essentia non potest intelligi, nisi simul intelligatur, quod singulum essentiale sit aliqua ratio Essentiae, qua rationati; adeoque ex uno essentiali cognoscitur aliquod praedicatum alterius, et vice versa. b) Cum essentialibus constitutivis connexa sunt *essentialia consecutiva* seu *attributa*, et *modi;* nam attributa rationem sui sufficientem habent in essentialibus constitutivis: modi vero, etsi non sufficientem, aliquam tamen rationem aeque in essentialibus constitutivis habent. c) *Attributa*, et *modi*, sunt inter se singula connexa; nam e singulis horum debet intelligi singulorum aliorum attributorum, et modorum compossibilitas in eodem Ente. Denique d) etiam *relationes* Entis connexae sunt cum singulis essentialibus, et modis; quia e singulis horum cognoscitur compossibilitas relationum, et vicissim e relationibus compossibilitas essentialium, et modorum in eodem Ente. Igitur singula determinatio Entis est ratio alterius, et vice versa; sed quae ita sunt comparata, vocantur *connexa;* ergo omnes determinationes, quae Enti cuidam insunt, sunt inter se conexae. Cum autem nexus singulorum cum singulis, et consensio omnium universalis appelletur *Harmonia;* in omni Ente inest Harmonia.

V.

Qualitas, et Quantitas Entium.

Determinationes Entium solent appellari etiam *Qualitas*, aut *Quantitas*. *Qualitas* est ta-

lis determinatio, qua Ens ab Ente discerni, et quae in Ente sine alio aliquo assumto concipi potest: *Quantitas* vero est determinatio, quoties unum in Ente aliquo reperiatur, aut cogitari possit. Limitatio qualitatis vocatur *Gradus*, qui cum per incrementum, aut decrementum repraesentetur, *major*, *minor*, aut *maximus* vel *minimus* esse potest; sic e. g. *loquimur de Gradibus caloris, frigoris, lucis etc. qua totidem Qualitatum Entis.* Unum, per quod Quantitas determinatur, *Mensura* dicitur: pluralitas vero unitatum *Numerus* audit; hinc *mensurare* idem est, ac quantitatem incognitam per quantitatem cognitam, e. g. *per perticam, ulnam, pedes, centenarios etc.* determinare; *numerare* vero tantum significat, ac pluralitatem per unitatem determinare; unde nec pluralitas sola, nec unitas efficit *numerum*, sed pluralitas per unitatem determinata.

Ens, cujus quantitas absolute non potest determinari, *immensum* vel *innumerum*: cujus autem quantitas relative solum, i. e. a nobis nequit assignari, *immensurabile*, aut *innumerabile* vocatur. *Sic e. g. dicimus Deum immensum, aut stellas innumerabiles.*

Quantitas vario respectu est varia. — a) Alia est *absoluta*, alia *relativa*. Quantitas *absoluta*, vel *in sensu absoluto* est repraesentatio connexionis variorum Entis alicujus in se spectati: Ens in quo varia connexa concipiuntur, vocatur *Quantum*, vel *Totum;* varia autem *Partes* appellantur: *e. g. florenus est Totum, sexaginta cruciferi Partes sunt.* Quantitas *relativa*, seu *in sensu relativo* est repraesentatio variorum in duobus, aut pluribus Quantis inter se comparatis reperibilium, unde *Magnitudo* quoque vel *Parvitas* appelatur, prout nempe in Quantis plures, vel pauciores Partes connexae repraesentantur, et

ipsa Quanta hoc respectu *magna*, vel *parva* vocantur, et simul *imparia*, seu *inaequalia: paria* autem seu *aequalia* illa sunt, quae eandem quantitatem habent; *e. g. numus cum numo comparatus habet Quantitatem relativam, et si quidem alter viginti, alter decem crucigeros contineat, ille majus, iste minus, simul imparia Quanta constituunt: tunc vero essent paria, si totidem crucigeros continerent.*

b) Totum aliud est, *ideale*, aliud *reale;* istud est, quod partibus a se re ipsa distinctis constat, et hinc *physicum* quoque appellatur, e. g. *domus*, *tabula*, etc. illud vero est, quod habet partes cogitatione tantum nostra distinctas, unde etiam *logicum* vocatur, *e. g. anima humana.* Praeterea aliud est Totum *absolutum*, aliud *relativum;* istud est quod ut pars alterius cogitari potest, *e. g. terra:* illud vero est, quod omnia alia Tota sub se continet, quin ipsum ad aliquod majus, qua pars referri queat, *e. g. mundus.*

c) Partes Totius aliae sunt *integrantes*, aliae *constitutivae;* istae sunt quarum si vel una auferatur, ipsum Totum perit: illae vero sunt, quae ad Totius tantum integritatem pertinent; et quia Partes integrantes tantum quantitate, constitutivae vero qualitate a se differunt, illae *similares*, hae *dissimilares* quoque vocantur; *e. g. manus aut digiti sunt partes integrantes hominis; corpus, et anima constitutivae.* — Praeterea alia dicitur Pars *aliquota*, alia *aliquanta*, illa est, quae aliquoties sumta Totum suum adaequat: haec vero est, quae aliquoties sumta Totum vel excedit, vel ab eodem deficit; *E. g. quinque grossi pars aliquota, sex autem grossi sunt pars aliquanta floreni.*

d) *Quantitas adhuc extensiva et intensiva, negativa, et discreta* distingui potest. Quantitas

extensiva est positio partium extra se: Quantitas vero ***intensiva*** est multiplicatio graduum Qualitatis; ***e. g. vinum habet Quantitatem extensivam, quatenus dolium occupat: intensivam autem prout spirituosum est.*** — Quantitas ***negativa*** illa vocatur, quae non aliter, quam per contrapositionem cum alia Quantitate cognoscitur, et tantum in altera tollit, quantum ipsi aequivalet. Conceptus Mathematicis valde magni momenti. — Denique Quantitas ***discreta*** alias ***numerica*** est, quae per Partes Totius ut unitates consideratas concipitur, seu sunt Quanta ut unitates repraesentata. — Ens illud, cujus Quantitas augetur, vel minuitur, dicitur ***crescere***, ***intendi***, aut ***decrescere***, ***remittere***, ***languescere.***

Ex his notionibus intelligantur sequentia Mathematicorum axiomata: — ***Totum est sibi ipsi aequale. — Totum est aequale suis partibus simul sumtis, et vice versa. — Posito Toto ponuntur omnes Partes, et vice versa — Sublato Toto tolluntur omnes Partes, et vice versa. — Posito Toto ponitur Pars aliquota; sed non vice versa. — Sublato Toto tollitur Pars aliquota; at non vice versa. — Pars Partis est etiam Pars Totius. — Quanta uni tertio aequalia talia sunt etiam inter se, etc.***

S c h o l i o n.

a) Cum his notionibus intime connectitur notio *Compositi*, *Extensi*, *Continui*, *Finiti*, *Infiniti*, *Spatii*, *Temporis*; at de his sub aliis titulis deinceps agemus.

b) Ad Totum *ideale* praeter Totum *logicum*, sub quo conceptus rerum intelligunt, referunt etiam Totum *metaphysicum*, *et morale*; Totum *metaphysicum* dicitur essentia rerum cogitabilis: Totum vero *morale* est,

cujus partes non physice, sed officiis, et lege inter se junguntur, *e. g. societas civilis, familia.* — Ita etiam Totum *reale* subdividunt in *naturale*, et *artefactum;* illud constat partibus a natura connexis, *e. g. arbor;* istud vero habet partes industria humana copulatas, *e. g. domus aliqua.*

VI.

Existentia Entium.

Ens in sensu stricto illud esse, quod re ipsa existit, jam initio Ontologiae dictum est; Ens proinde *existens* (intellige *objective*) illud est, quod plus est quam mere possibile, seu quod certis viribus, et facultatibus praeditum agere, aut pati potest; quod enim tale est, illud tantummodo est plus quam mere possibile; e. g. *respectu spatii tribus lineis clausi quod tantum cogito, triangulum est possibile; sed si idem in tabula descripsero, triangulum erit existens.* Nobis proinde *Existentia* est illa determinatio, qua fit, ut Ens sit plus quam mere possibile; quod quia primo agendo innotescit, *Existentiam* et *Actualitatem* pro conceptibus *identicis* sumimus.

Propositiones.

1-ma. *Existentia est vera Realitas.*

1. Per Existentiam enim ponitur aliquid in Ente, esse enim plus quam mere possibile, significat aliquid positum esse, ergo Existentia est po-

sitiva determinatio Entis; sed positiva determinatio est Realitas. — Quod ipsum etiam Kantius sensisse videtur; licet enim Existentiam, ubi argumenta ad probandam Dei existentiam per philosophos adduci solita crisi subjicit, neget esse Realitatem; tamen per decursum Criticae suae *pag.* 626. Existentiam alicujus rei dicit esse *Positionem*, Positionem autem *pag.* 624. vocat *Realitatem.*

2. Quidquid est, vel est Realitas, vel Defectus; ergo si Existentia non est realitas, debet esse defectus; sed hoc nec Kantiani admittunt; igitur admittere debent Existentiam realitatem esse.

3. Existentia vel est complementum possibilitatis, vel relatio tantum possibilis rei ad facultatem nostram cognoscitivam, vel vera Realitas Entis: sed *primum* dici nequit; sic enim sequeretur possibile, quod necdum existit, non ex integro possibile esse, per Existentiam enim primo possibilitas compleretur; possibile vero non ex integro possibile absurdum est: nec *secundum* potest dici; si enim Existentia Entis, esset tantum relatio possibilis ad Ego nostrum cognoscens, omnium Existentia *subjectiva* tantum esset, et non *objectiva:* quod admitti non potest; etsi enim respectu nostri eatenus sint Entia existentia, quatenus ad facultatem nostram cognoscitivam referuntur, et vel qua aliquid reale, vel qua aliquid a nobis diversum, vel qua quidpiam intuibile per nos apprehenduntur; tamen etiam extra relationem hanc, et apprehensionem animae debent illa in se vere existere; referre namque ad intellectum, et vere apprehendere possibile ut existens non possum, nisi hoc extra me quoque ut tale positum sit. Igitur dicendum est *tertium*, seu Existentia est vera realitas.

2-da, ***Existentia est Determinatio Entis interna, sed non semper necessaria.***

Nam Existentia Enti in se spectato, quin referatur ad alia, convenit (*Prop.* 1.): sed talis determinatio vocatur interna; ergo Existentia est determinatio Entis interna. Sed non semper necessaria. Quia

Determinatio necessaria est, quae ab Ente abesse nunquam potest, quae proinde aut essentiam Entis constituit, aut ex hac, qua rationatum consequitur; sed Existentia nec ad essentiam Entium pertinet universim, nec ex hac semper ut rationatum consequitur; possum enim Ens cogitare etiam non existens, et alioquin secus omnia Entia semper, et ita deberent existere, et ipsa non existere absolute repugnet; sed hoc soli Enti realissimo proprium esse, postea probabimus; igitur Existentia non est semper determinatio necessaria.

3-tia ***Ens quodvis existens est omnimode determinatum.***

Illud Ens dicimus omnimode determinatum, cui omnes illae determinationes conveniunt, quae praeter essentiam sunt in ipso compossibiles: sed cuivis Enti existenti omnes determinationes convenire debent, quaecunque in ipso praeter essentiam simul sunt possibiles; secus namque fieri posset, ut Enti existenti e praedicatis contradictoriis neutrum conveniat: quod quia contra principium exclusi medii foret, quodvis Ens existens omnimode determinatum sit oportet. — Cum vero Ens omnimode determinatum *Individuum* quoque, aut ***objectum singulare*** appelletur, Ens existens

non nisi singulare, seu Individuum esse potest; quod proinde praeter determinationes communes etiam proprias habeat, necesse est.

Corollarium.

Ex his, quae de Existentia diximus, ista sequuntur: a) Existentia est tantum praedicatum eorum, quae objective sunt realia; b) Existentia quidem realitates Entium internas necessarias non auget quoad numerum, auget tamen realitates contingentes tam internas quam externas; quia quando Ens existere actu cogitamus, praeter illas notas, quas conceptus essentiae deposcit, multae aliae determinationes et relationes insuper se nobis offerunt, Enti adhuc tantum possibili non convenientes: sic e. g. *centum floreni, quos nunc possideo non alii, neque plures sunt, quam quales, et quot antea concepi possibiles, attamen jam nunc in mea crumena sunt, possumque ipsos his aut aliis usibus applicare, etc.* c) Quod mere possibile est adhuc non existit; hinc a' posse ad esse non valet argumentum. d) Quod existit possibile esse debet; ideo ab esse ad posse recte concluditur. e) Quod adhuc non existit, existere potest; igitur a non esse non recte infertur non posse, seu impossibile.

Scholion.

Existentia Entis cognoscitur vel *immediate*, vel *mediate*, i. e. quidquid existit, nobis vel per perceptionem sensuum innotescit, vel per existentiam Entis cujusdam alterius, sine quo istud existere non posset; e. g. *quod res quaepiam extra me existant cognosco ope sensuum immediate; cum autem hae sine Causa absoluta existere nequeant, Deum ut talem mediate cognosco.*

§. V.

U n u m.

Unum dicitur Ens, quatenus determinationes habet inseparabiles, e. g. ***hominem dicimus unum quatenus in ipso sensualitas, et rationalitas sunt inseparabiles***; unde *Unitas* est negatio divisionis determinationum Entis. Quia vero determinationes Entis vel sunt ***absolute inseparabiles***, seu tales, quae ab Ente salva ejus essentia abesse non possunt, vel ***hypothetice inseparabiles*** seu tales, quae positis certis conditionibus ab Ente abesse non possunt: hinc Unum quoque vel est ***absolute***, vel ***hypothetice*** tale, quatenus determinationes absolute, vel hypothetice inseparabiles continet; ***e. g. anima est unum absolute, ejus enim facultates ut intellectus, voluntas etc. separari absolute nequeunt: e contrario homo est hypothetice unum, corpus namque, et anima ejusdem eousque tantum non possunt separari, quo ad ut talis operari debet.***

Absolute Unum appellatur etiam ***metaphysice unum:*** hypothetice vero unum alias ***relative unum*** vocatur, atque in ***physicum***, et ***morale*** subdividi solet, per illud corpus quodvis organicum, per hoc societas hominum mutuis officiis, et juribus connexorum intelligitur.

Illa, quae partim sunt unum, partim plura, seu, quae in quibusdam determinationibus conveniunt, in aliis vero non conveniunt, appellantur ***multa;*** sic ***e. g. homines dicimus multos, quatenus in sensualitate, et rationalitate conveniunt, in aliis vero uti aetate, magnitudine, eruditione etc. discrepant.*** Est itaque *Mul-*

titudo pluralitas unitatum, et quia sine allo pro mensura assumto intelligi nequit, conceptus identicus cum *Quantitate*, de qua jam priori paragrapho egimus.

Propositiones.

1-*ma. Omne Ens est unum metaphysice.*

Omne Ens metaphysice spectatum debet habere suam essentiam: essentia autem Entis per tales determinationes efficitur, quae abesse absolute non possunt, sed tales determinationes vocantur absolute inseparabiles; igitur omne Ens habet aliquas determinationes absolute inseparabiles, quod vero tale est, metaphysice unum est.

2-*da. In omni Ente datur Multitudo.*

Quia Ens quodvis habet sua essentialia, modos, et relationes: sed ista partim sunt unum, in quantum consentiendo determinant, ut Ens sit hoc, quod est, et non aliud; partim plura, quatenus quaelibet harum determinationum per propriam notionem potest concipi, et repraesentari: illa vero, quae partim sunt unum, partim plura, appellantur multa; ergo in omni Ente adest multitudo.

Corollarium.

Hinc intelligitur, Essentias Entium esse incommunicabiles, majusque, aut minus non admittere, *e. g. numerus ternarius est unum metaphysice; ut enim idem*

maneat, quod est, seu essentiam suam retineat, tres ejus unitates separari, aut augeri vel minui absolute non possunt.

§. VI.

Ordinatum.

Ordo est connexio plurium juxta, aut post se positorum secundum quampiam rationem; defectus hujus connexionis est ***disordo*** vel ***confusio***; ratio vero illa, secundum quam plura connectuntur, ***Regula ordinis*** audit; ***e. g. in bibliotheca quapiam adest ordo, si libri, habita ratione formae externae, sunt dispositi, si vero vel hujus ratio non habetur, adest confusio; ipsa forma externa, juxta quam libri sunt dispositi, est regula ordinis.*** — Unde ***Ens ordinatum*** dicitur, in quo varia secundum quandam regulam sunt connexa.

Ordo alter est ***simplex*** alter ***compositus.*** Ordo ***simplex*** est, qui unicam tantum habet regulam; ***compositus*** vero est, qui plures habet regulas; ***e. g. in bibliotheca adest ordo simplex, si in dispositione librorum solius formae externae habeatur ratio, si autem et materiä, quae in opere pertractatur, lingua etc. respiciantur, est ordo compositus.*** Ac proinde quantitas Ordinis partim e quantitate regulae, partim e conformitate variorum majore vel minore cum regula est determinanda.

Propositio.

In omni Ente adest aliquis Ordo.

Nam Ordo est connexio variorum secundum regulas: sed in omni Ente connexa sunt varia secundum regulas; nam in omni Ente adsunt determinationes ad constituendam essentiam connexae, ideo quodlibet Ens habet suam essentiam, estque saltem aliquatenus determinatum; ergo in omni Ente inest aliquis ordo.

Scholion.

Quia per cogitandi, naturae, et morum leges determinati rerum ordines existunt, ipsisque rebus insunt, falsum est ordinationem Entium esse meram subjectivam formam animae, aut in dijudicando rerum ordine omnia ab arbitrario, et consuetudine, nihil a rerum ipsarum indole pendere. Quod autem saepe ordinem adesse non observemus, nobis imputandum est, qui aut non possumus aut nolumus regulas noscere, et observare.

§. VII.

Verum.

Verum metaphysice dicitur Ens quodlibet, quatenus ejus determinationes inter se consentiunt; unde ***Veritas metaphysica*** est consensus determinationum in Ente: ***e. g. Homo est metaphysice verus, in quantum hae determinationes, sensualitas et rationalitas inter se consentiunt.***

Propositio.

Omne ens est verum metaphysice

Nullum enim Ens potest vel cogitari vi principii contradictionis, quod veram contradictionem involveret, sed in omni Ente debet adesse consensus notarum, seu determinationum, sic est omne Ens id, quod est, et non aliud: jam vero consensus determinationum Entis inter se est Veritas metaphysica; ergo omne Ens est verum metaphysice.

Corollarium.

Hinc intelligitur, Veritati metaphysicae nihil opponi, adeoque *falsitatem metaphysicam* non dari, imo in notione sua contradictionem involvere; *e. g. metaphysice etiam mendacium est verum, consentiunt quippe ista duo: aliter loqui, aliter sentire inter se in mendacio.* Si quae proinde falsitas datur, ea non rebus ipsis, sed nostris cognitionibus, verbisque, et actionibus inhaeret, et in priori casu *falsitas cognitionum*, in posteriori *falsitas moralis*, seu *mendacium* appellatur. — Unde nos veritatem *metaphysicam* quoque a *veritate cognitionum*, et *veritate morali* jam in Logica (*pag.* 166—169) distinximus.

§. VIII.

Perfectum.

Perfectum in genere dicitur, quod aptum est ad suum finem, seu cujus varia consentiunt ad id,

id, quod per ipsa obtinere volumus: *imperfectum* vero est, quod fini suo non respondet; hinc *Perfectio* Entis est consensus variorum ad ejus finem, defectus autem hujus consensus *Imperfectio* vocatur; *e. g. Horologium dicimus perfectum, si ejus partes accurate consentiunt ad indicandas horas, secus est imperfectum.*

Ratio illa, ex qua Perfectio Entis determinatur, *Regula Perfectionis* appellatur; unde Perfectio a) vel est *simplex*, vel *composita*, prout nempe Regula Perfectionis una, vel plures adfuerint; e. g. *horologium horis tantum indicandis destinatum habet Perfectionem simplicem, quod autem insuper minuta, dies, mensesque indicat, Perfectione composita gaudet*; b) vel est *essentialis*, vel *extra essentialis*; Perfectio *essentialis*, alias *necessaria* vel *metaphysica* est consensus determinationum essentialium in Ente: consensus vero determinationum contingentium est Perfectio *extra essentialis*, vel *contingens*: haec rursus solet subdividi in *internam*, et *externam* pro ratione determinationum ad fines consentientium; *e. g. animalitas, et rationalitas Perfectionem metaphysicam conciliant homini, virtus aut eruditio Perfectionem internam sed contingentem, honores aut divitiae Perfectionem externam.*

Gradus Perfectionis contingentis desumitur a) ex multitudine, et magnitudine variorum consentientium, i. e. eo major est Perfectio Entis, quo plura, et majora sunt varia, quae ad finem consentiunt; b) ex multitudine, et magnitudine rationum determinantium, seu tanto major est Perfectio, quanto plures et majores obtinentur fines; denique c) ex consensione accuratiore variorum i. e. eo major est perfectio, quo accuratius obtinetur finis.

P r o p o s i t i o.

Omne Ens est metaphysice perfectum.

Vi principii consensus, et identitatis determinationes essentiales ad constituendam essentiam in quovis Ente consentire debent; igitur in omni Ente adest consensus variorum essentialium ad certum finem: sed talis consensus est Perfectio metaphysica; ergo omne Ens est metaphysice perfectum; *e. g. peccatum metaphysice est perfectum; quia in ipso varia, seu haec: libera trangressio legis, consentiunt ad id, ut sit peccatum.*

C o r o l l a r i u m.

Cum *bonum* in genere illud dicatur, quod Enti Perfectionem quampiam conciliat, adeoque *bonum metaphysicum* sit, quod rationem Perfectionis essentialis continet; hinc metaphysice sicut perfectum, ita bonum quoque esse quodvis Ens intelligitur; *e. g. venenum est metaphysice bonum, quatenus omnia requisita habet adhoc, ut sit venenum.*

CAPUT SECUNDUM.

De

Praedicatis Entium Disjunctivis.

Praedicata Entium Disjunctiva sunt: *Necessarium* vel *Contingens*, *Mutabile*, vel *Immu-*

tabile, *Substantia*, vel *Accidens*, *Compositum*, vel *Simplex*, *Extensum*, vel *Inextensum*, *Finitum*, vel *Infinitum*.

§. IX.

Necessarium, vel Contingens.

I.

Notio Necessarii, et Contingentis, ac divisio.

Necessarium in genere est illud, cujus oppositum est impossibile: cujus vero oppositum est possibile, ***contingens*** est; e. g. ***ut triangulum habeat tria latera est necessarium***, ***ut re ipsa existat***, ***est contingens***. Notio itaque ***Necessitatis***, et ***contingentiae*** praesupponit notionem Possibilitatis, et Impossibilitatis, atque ita multiplex est, sicut ista. Unde

Necessarium et Contingens dividitur in ***logice***, et ***realiter***, illud in ***absolute***, et ***hypothetice***, hoc in ***physice***, et ***moraliter*** tale.

Logice necessarium est, cujus oppositum legibus cogitandi repugnat, seu quod aliter cogitari nequit: quod vero et aliter cogitari potest, est ***logice contingens***; ***e. g. ut circulus sit rotundus est necessarium***, ***ut autem sit ferreus***, ***est contingens logice***.

Realiter necessarium est, quod aliter cognosci nequit: quod autem potest et aliter cognosci ***realiter contingens*** dicitur: e. g. ***ut Deus existens***, ***sit independens***, ***est necessarium***, ***ut vero Cajus sit doctus***, ***est contingens realiter***.

Absolute necessarium est, cujus oppositum absolute est impossibile: cujus vero oppositum est absolute possibile, ***absolute contingens*** est; unde absoluta Necessitas, et Contingentia ***interna*** quoque et ***metaphysica*** vocatur vel non ***conditionata***; ***e. g. ut Deus sit Sanctus est necessarium, ut vero Petrus talis sit, est contingens absolute.***

Hypothetice necessarium est, cujus oppositum est hypothetice impossibile: cujus vero oppositum hypothetice possibile est, appellatur ***hypothetice contingens***; ***e. g. ut Cajus hectica laborans moriatur, est necessarium: ut vero idem leviter morbidus moriatur, est contingens hypothetice.***

Physice necessarium est, cujus oppositum est physice impossibile: illud vero, cujus oppositum physice possibile est, ***physice contingens*** audit; ***e. g. ut lignum igne aduratur est necessarium: ut vero arbor aestate fructificet, contingens est hypothetice, in specie physice.***

Moraliter necessarium est, cujus oppositum est moraliter impossibile: cujus autem oppositum moraliter non repugnat, ***moraliter contingens*** dicitur; e. g. ***ut dives sit benificus, est necessarium, ut vero innocuis voluptatibus indulgeat, est contingens moraliter, seu licitum.*** Moralis itaque et physica Necessitas, ac Contingentia semper aliquam conditionem, relationem, et nexum cum aliis includit; unde ***externa*** etiam, aut ***relativa*** appellatur, vel ***conditionata.***

Necessitatem ***physicam*** nonnulli subdividunt in ***intrinsecam***, et ***extrinsecam***, illam tunc dicunt adesse, cum oppositi impossibilitas in ipsa objecti natura fundatur: cum autem oppositi impossibilitas extra objecti naturam sita est, locum esse asserunt ***Necessitati extrinsecae, s. coactioni;***

e. g. ***ut corpus organicum corrumpatur, intrinsece, ut bilanx pondere imposito declinet, extrinsece est necessarium.*** Ex his sequentes, deducuntur

P r o p o s i t i o n e s.

1-ma. ***Quod est logice necessarium, est etiam absolute necessarium.***

Logice necessarium est illud, cujus oppositum absolute non potest cogitari: sed cujus oppositum absolute non potest cogitari, illius oppositum et in se spectati, etiam nemine cogitante, est impossibile, quod vero tale est, est absolute necessarium; e. g. ***quia Deus absolute non potest cogitari, nisi qua Ens realissimum, eidem etiam in se spectato ut omnis realitas pura conveniat, est necessarium.***

2lda. ***Quod est absolute Necessarium, id nunquam potest esse contingens.***

Absolute necessarium est illud, cujus oppositum semper, et in omni casu repugnat, contingens autem est, cujus oppositum est possibile; igitur si absolute necessarium aliquando posset esse contingens, illius oppositum deberet esse possibile: sed hoc est absurdum; e. g. ***quia Totum absoluta necessitate est majus sua parte, sub nulla hypothesi potest esse minus.*** Unde vice versa, quod est contingens, nunquam potest esse absolute necessarium.

3-a. *Hypothetice necessarium est in se contingens.*

Hypothetice necessarium est illud, cujus oppositum sub certa tantum conditione repugnat; ergo sublata hac conditione est possibile: sed cujus oppositum est possibile, illud est contingens; e. g. *ut praesentibus radiis solis in cubili sit lux, est hypothetice necessarium: sed quia illi possunt etiam abesse; ideo lux in cubili est tantum contingens.* Unde vice versa, quod est contingens; potest esse hypothetice necessarium.

4-a. *Quod est moraliter necessarium, non est porpterea physice necessarium.*

Moraliter necessarium est, cujus oppositum stante lege morali est impossibile; physice autem necessarium est, quod stantibus legibus naturae fieri debet: jam vero violata lege morali, non hoc ipso violantur leges naturae (physicae) e. g. *licet moraliter necessarium sit, ut filius honoret parentes; stantibus tamen legibus naturae per vires physicas fieri posse oppositum, tristis experientia loquitur.*

5-a. *Essentiae Entium, Essentialia constitutiva, et consecutiva sunt absolute necessaria.*

Nam a) Essentia Entis est id, per quod Ens illud est, quod est, et non aliud; ergo si oppositum essentiae esset possibile, Ens non esset id, quod est, sed aliud: hoc autem pugnat cum Principio identitatis; igitur oppositum essentiae En-

tium est absolute impossibile : sed quod tale est, absolute necessarium est; ergo essentiae Entium sunt absolute necessariae.

b) Essentialia constitutiva simul sumta essentiam Entis absolvunt, abesseque ab Ente, quin hoc desinat esse, quod est, absolute non possunt; igitur e determinationibus essentialibus Entium nec unica quidem potest abesse absolute, oppositum proinde ipsarum semper repugnat: quod vero tale est, absolute necessarium est; ergo essentialia constitutiva Entium sunt absolute necessaria.

c) Essentialia consecutiva, seu Attributa rationem sui sufficientem habent in essentialibus constitutivis; igitur posito complexu essentialium constitutivorum, seu essentia, et ipsa ponuntur: sed essentia absoluta necessitate ponitur in Ente; ergo ita debent poni etiam Attributa; e. g. *quia essentiam hominis animalitas, et rationalitas absolvunt; ratio, et sensualis cognoscendi facultas ita necessario conveniunt homini ut Attributa, sicut illae, ut essentialia constitutiva.*

6-ta. *Modi, et Relationes Entium non sunt determinationes absolute necessariae.*

Non Modi; sunt enim tales determinationes, quae rationem sui sufficientem in essentialibus non habendo, his positis non ponuntur; sed licet Enti in se spectato conveniant, possunt tamen ab eodem etiam abesse; igitur oppositum Modorum in Entibus est possibile: sed quod tale est, contingens est, quod vero contingens est, absolute necessarium esse nequit (*Prop.* 2.): ergo Modi Entium non sunt absolute necessarii. *Sed nec Relationes*; nam

Relationes sunt determinationes tales. quae Enti cum aliis connexo conveniunt, non conve-

niunt autem, si in se spectetur; igitur Relationes absolute possunt ab Ente abesse, adeoque ipsarum oppositum est possibile: sed quod tale est, contingens est, contingens vero non est absolute necessarium; ergo Relationes Entium non sunt absolute necessariae; e. g. *Eruditio ut modus in homine non est absolute necessaria: relativae determinationes Dei ex hoc mundo, uti creatio, conservatio, gubernatio, aeque non sunt absolute necessariae, licet hypothetice tales sint sub conditione scilicet mundi existentis.*

II.

De Ente in existendo necessario, et contingente.

Ens in existendo necessarium est, quod rationem sufficientem suae existentiae habet in sua essentia, adeoque quod ita existit, ut ipsum non existere absolute repugnet: e contrario illud, quod rationem sufficientem existentiae suae non in sua essentia, sed alibi habet, seu quod etiam non existere potest, appellatur *Ens in existendo contingens.*

P r o p o s i t i o n e s.

1-ma. *Ens in existendo necessarium est possibile.*

Nam Entis in existendo necessarii notae sibi non contradicunt; si namque contradicerent, contradictio locum haberet vel ex parte essentiae, vel ex parte rationis sufficientis ad existendum: sed

neutrum dici potest. Non *primum;* essentia enim ut essentia e notione sua nec includit nec excludit rationem sufficientem existentiae, proinde cum hac in eodem Ente consistere potest: non etiam *alterum;* quia ratio ad existendum sufficiens est positiva determinatio seu realitas: jam vero realitas nec sibi nec aliis potest contradicere (§. *IV. Prop.* 5-ta *s.* 6.); ergo neque ratio ad existendum sufficiens contradicit essentiae. Igitur possibile est tale Ens, quod essentiam, et in hac simul rationem sufficientem suae existentiae habeat: sed Ens hoc est Ens in existendo necessarium; ergo Ens in existendo necessarium est possibile.

2-da. *Ens in existendo necessarium nequit esse mere possibile, sed una semper existens.*

Existentia enim entis in existendo necessarii est rationatum propriae essentiae, ut rationis sufficientis, igitur ab essentia abesse nunquam potest; posita enim ratione sufficiente continuo ponitur rationatum: sed illa, quae una ponuntur, a se separari absolute nequeunt; ergo existentia Entis in existendo necessarii ab ejus essentia absolute non potest separari, seu, quod idem est, Ens in existendo necessarium nequit esse nude possibile, sed una semper est existens. — Proinde sicut cogitari, ita et cognosci non aliter potest Ens in existendo necessarium, nisi una ut existens; quod enim est logice necessarium, hoc et absolute debet esse necessariun (*sub A. Prop.* 1-*ma*) — ac propterea.

3-a *Existentia in Ente in existendo necessario est Attributum.*

Quia Attributum est determinatio Entis interna, quae rationem sui sufficientem habet in essentia:

sed existentiae Entis necessario existentis ratio sufficiens continetur in ejusdem essentia; ergo vera est propositio. Unde vice versa intelligitur, existentiam in Ente contingente esse tantum modum; haec enim non ex propria essentia, verum aliunde intelligitur, et sic potest etiam abesse ab essentia.

4-ta. ***Ens in existendo necessarium nec quoad suam existentiam, nec quoad suas determinationes pendet ab ullo alio Ente.***

Non quo ad suam existentiam; nam Existentiae Entis in existendo necesarii ratio sufficiens continetur in propria essentia, adeoque non in alio aliquo Ente: sed quod tale est, illud a nullo alio pendet quoad existentiam; potest itaque existere Ens in existendo necessarium, etsi nulla alia Entia existant.

Non quoad suas determinationes; quia Ens existens est omni modo determinatum (§. *IV. F. Prop.* 4.), ergo etiam Ens in existendo necessarium eo ipso quod existat, habet una omnes suas determinationes; proinde quoad has ita est dependens, vel independens, sicut quoad existentiam: jam autem quoad existentiam a nullo alio dependet; ergo nec quoad determinationes suas. Hinc Ens in existendo necessarium recte appellatur etiam ***Ens independens***, ***Ens a se***, ***Ens absolutum.***

5-ta. ***Ens in existendo contingens quoad existentiam suam pendet ab alio Ente.***

Nam Ens in existendo contingens illud est, cujus oppositum, seu non existere est possibile;

igitur rationem suae existentiae sufficientem in se non potest habere, sed in alio; si enim rationem sufficientem existentiae suae in se haberet, non posset non existere: si autem rationem sufficientem existentiae suae in alio habet, ab hoc quoad existentiam dependet. Ideo Ens in existendo contingens, etiam ***Ens dependens***, vel ***Ens ab alio*** dicitur.

6-a. ***Ens contingens non potest existere, quin existat Ens necessarium.***

Quemadmodum enim cogitari, ita nec existere potest quidpiam absque ratione sufficiente (sicut hoc de Praedicatis relativis acturi probabimus); igitur si existit Ens contingens rationem sufficientem suae existentiae debet habere, et quia (***Prop.*** 5-a) in se habere non potest, debet habere in alio Ente. Jam istud aliud Ens vel est aeque contingens, vel necessarium: sed primum dici nequit;

Si namque Ens contingens rationem sufficientem existentiae suae in alio Ente contingente haberet, vel haberet in alio Ente contingente seorsim sumto, vel in serie plurium Entium contingentium; sed neutrum potest dici. Non ***primum***; cum enim istud Ens ex hypothesi esset contingens, quoad suam existentiam iterum ab illo dependeret, et sic non tantum alienae, sed nec suae existentiae contineret rationem sufficientem: nec ***alterum*** potest dici; series quippe illa Entium contingentium, quae rationem sufficientem existentiae unius alicujus Entis contingentis contineret, quantacunque etsi ***infinita*** supponatur, semper contingens erit, nec aliter nisi qua collectio infinitarum insufficientiarum ad existendum poterit spectari; sola enim collectio Entium, naturam eorundem non mutat. —Unde quemadmodum ex

eo, quod singulus lapis natura sua excludat vim cogitandi; recte sic arguitur: singulus lapis caret vi cogitandi; ergo etiam tota collectio lapidum etsi infinita caret vi cogitandi: ita etiam ex eo, quod Ens contingens seorsim sumtum non possit continere alienae existentiae rationem sufficientem, recte concludimus eandem rationem nec in serie plurium Entium contingentium, etsi infinita, contineri posse. Igitur cum Ens contingens, si existit, rationem sufficientem existentiae suae in alio habere debeat, non possit autem habere seu in alio Ente aeque contingente, seu in qualicunque serie Entium contingentium, eandem, ut in Ente necessario supra omnem contingentium posito habeat, est necesse; ergo Ens contingens sine Ente necessario existere non potest.

Solutio Objectionum.

1. Distingui debet *ratio insufficiens* a *sufficiente*, et haec *lato sensu sumta* a *ratione sufficiente in sensu stricto* seu *metaphysice accepta.* — Ratio *insufficiens* dicitur id, ex quo quare quidpiam sit, vel fiat, adaequate non intelligitur: Ratio *sufficiens in sensu lato* est, ex qua cur quidpiam sit, vel fiat proxime satis cognoscitur; illa denique Ratio, ex qua cur quidpiam sit, vel fiat remote, et ultimo plene intelligitur, est *sufficiens in sensu stricto* seu *metaphysico.* — Jam quod Ens contingens rationem insufficientem, et sufficientem in sensu lato sumtam possit continere, et re ipsa contineat existentiae alterius Entis contingentis, extra dubium est; ad hoc enim nihil aliud requiritur, quam ut Ens contingens conferat aliquid ad existentiam alterius, i. e. posita actione quadam unius Entis contingentis ponatur alterius existentia: sed quod Ens contingens rationem

sufficientem metaphysice sumtam contineat existentiae alterius, merito negatur; nam quantacunque series contingentium percurratur, ratio ultima existentiae alicujus nunquam deprehendetur; nisi proinde aliquid sine ratione sufficiente admittere velimus. ad explicandam existentiam contingentem existentia Entis absolute necessarii est assumenda. *Sic e. g. semen confert aliquid ad existentiam arboris, sed quia istud a se non est, praeterea etiam humores sunt necessarii, hi autem derivantur ab aqueis particulis, quae etiam aliunde proveniunt; hinc quare arbor existat, ratio ultima in Ente necessario quaeri debet.*

2. Licet in praedicatis contingentibus vitiose concludatur a singulis ad totum, seu ut dici amat, *argumentum a sensu distributivo ad collectivum non valeat,* in primis si praedicata illa sint quantitatis, in quibus multiplicatis subjectis attributum crescit; valet tamen hoc in praedicatis essentialibus, quae ita singulis inhaerent, ut nec tunc possint abesse. cum singula in unum colliguntur; *e. g. licet vitiose sic argumenter: unus miles non facit exercitium; ergo nec tota collectio militum;* aut, *nec Petrus nec Paulus nec Joannes possunt loco movere seorsim sumti lapidem, ergo nec simul sumti: rite tamen sic concludo; corpus A. B, C. etc. est extensum; ergo omne corpus est extensum; item singulus zerus non efficit numerum, ergo nec collectio zerorum etsi infinita.* — Jam vero nos, dum sic argumentamur: nullum Ens contingens continet rationem sufficientem existentiae alterius; ergo nec series etsi infinita Entium contingentium, in praedicatis essentialibus argumentamur; sicut enim zerus, quamvis in infinita serie cogitatus essentialiter excludit rationem numeri: ita contingentia quaevis, licet in serie infinita sumta rationem sufficientem existentiae continere nequit,

quin desinat esse id, quod est? Proinde qui seriem infinitam (ex infra·dicendis absurdam) Entium contingentium supponeret, sicque Entia sine fine multiplicaret, simul in infinitum augeret rationem evincentem, Ens contingens pendere a necessario.

3. Ens necessarium ideo potest existere sine Ente contingente, quia existentiae suae rationem sufficientem in se habens, a nullo alio dependet, estque sibi ad existendum sufficiens; e contrario quia Ens contingens rationem sufficientem suae existentiae nec in se, nec in alio contingente potest habere, dependet ab Ente necessario, ideoque sine hoc existere non potest.

4. Ex falso ideo nequit concludi verum, quia falsum non continet in praemissis rationem veri, neque cum hoc immediate, et necessario connectitur: e contrario quia Ens contingens cum necessario ita connectitur, sicut effectus cum causa, rite ex illius hujus quoque existentia deducitur. Quamquam etiam ex falso possit indirecte, et mediate inferri verum; haec enim sibi contradictorie opponuntur, in contradictoriis autem a falsitate unius recte concluditur, secundum leges logicas, ad alterius veritatem.

Corollarium.

Ex his apparet ideam Entis Absoluti non esse merum principium regulativum animae nostrae, sed et constitutivum; Ejusdem existentiam non tantum rationis practicae, sed et theoreticae postulatum esse, neque tantum objectum fidei, sed etiam scientiae posse dici contra ac Kantius vult; licet enim ideae Absoluti in experientia nullum objectum respondeat, quod tamen istud supra experientiam vere existat, contingentia objectorum experientiae, et indoles animae nostrae, ad Conditionatum Conditionem absolutam necessario quaerentis, etsi alia de-

essent, satis probant. — Quod essentiam realem hujus Entis plene attingere nequeamus, hoc certitudini cognitionis existentiae ejusdem nihil demit; id namque nec circa Entia contingentia esse nobis concessum, superius vidimus; quin tamen de horum existentia objectiva dubitemus: nempe sicut ista, ita et Ens absolutum sufficit noscere quid pro nobis sint, etsi perfecte nesciamus, quid in se sint. Plura dicemus in Theologia.

§. X.

Mutabile, vel Immutabile.

Mutabile in genere illud Ens dicitur, cujus status alter esse potest, ac est: cujus vero stàtus alter esse nequit, ac est, ***Ens immutabile*** audit. Est autem ***status*** Entis complexus determinationum ejusdem; ***sic e. g. dicimus Deum immutabilem***, ***quatenus determinationes eidem ita insunt***, ***ut aliter esse non possint: e contrario hominem appellamus mutabilem***, ***quatenus ex indocto doctus***, ***ex improbo probus evadere potest.***

Cum determinationes Entis aliae sint ***internae***, aliae ***externae*** (§. *IV.*), et pro ratione harum status quoque vel sit ***internus***, vel ***externus***, ille qui complexu internarum, hic qui complexu externarum determinationum absolvitur; hinc mutabile, et immutabile vel est ***interne***, vel ***externe*** tale. ***Interne mutabile*** est, cujus status internus alter esse potest, quam est; cujus vero status internus alter esse nequit, quam est, ***interne immutabile*** dicitur. — ***Externe mutabile*** est, cujus status externus alter esse potest, quam est: in casu opposito est ***externe immutabile; e. g. Cajus mutatur interne***, ***si ex indo-***

cto fiat doctus, si vero e paupere fiat dives externe mutatur, in casu opposito interne, aut externe non mutatur.

Est praeterea Mutabile, ac immutabile aut *absolute*, aut *hypothetice* tale. *Absolute mutabile* est, cujus status absolute potest esse alter, ac est: si vero oppositum obtineat, dicitur *absolute immutabile. Hypothetice mutabile* est, cujus status sub quadam hypothesi, et certis in adjunctis potest esse alter, ac est: secus est *hypothetice immutabile.* — Hinc intelliguntur.

P r o p o s i t i o n e s.

1-ma *Quod est necessarium est immutabile.*

Necessarium est illud, cujus oppositum est impossibile (§. *IX.* 1.): sed quod tale est illud non potest esse aliud, quam est; quod vero non potest esse aliud, quam est, illud est immutabile. Unde vice versa, intelligitur, illud, quod est immutabile, esse necessarium.

2-da. *Quod est contingens, est mutabile.*

Contingens est, cujus oppositum est possibile (§. *IX.* 1.): sed cujus oppositum est possibile, illud potest esse aliud, quam est: quod verò tale est, dicitur mutabile. — Unde vicissim quod est mutabile simul contingens esse intelligitur.

3-tia.

3-tia. *Essentiae, essentialia constitutiva, et consecutiva sunt in Entibus immutabilia: modi vero, et relationes mutabiles sunt.*

Nam a) quod est necessarium, est immutabile (*Prop.* 1-*ma*): sed essentiae, et essentialia constitutiva, ac consecutiva Entium sunt necessaria (§. *IX.* 1. *Prop.* 5-*a.*).

b) Quod est contingens est mutabile (*Prop.* 2-*da*): sed modi et relationes Entium sunt contingentes (§. *IX.* 1. *Prop.* 6-*a*): igitur etiam mutabiles.

4-ta. *Existentia Entis necessarii est immutabilis.*

Existentia Entis necessarii est ejusdem attributum (§. *IX.* 2. *Prop.* 3-*a*): sed attributum in Ente est immutabile (*Prop.* 3-*a.*). Unde determinatio quaevis interna, quae cum existentia Entis necessarii connectitur, ut aeque immutabilis sit, oportet; alioquin secus Ens illud modificaretur, et sic existentia quoque ipsius mutaretur; *sic e. g. dicitur in Deo libera illa volitio, qua mundum existere voluit, immutabilis.*

6-ta. *Mutabilitas status externi non infert mutabilitatem status interni.*

Status enim externus est complexus determinationum externarum Entis, status vero internus est complexus determinationum internarum; sed potest Ens acquirere novas determinationes externas, adeoque externe mutari, quin hoc ipso accipiat novas determinationes internas, seu interne

mutetur; e. g. *ideo quod Cajus aetate crescat, non sequitur eum in scientiis quoque perficere.*

§. XI.

Substantia, et Accidens.

I.

Notio Substantiae, et Accidentis.

Notio Substantiae diversa est apud philosophos. —

a) *Cartesius Substantiam* dicit esse rem, quae ita existit, ut nulla alia re indigeat ad existendum. — Ast definitio haec suo definito angustior est; res enim talis, quae altera ad existendum non eget, solum Ens in existendo necessarium est, cetera autem quaevis cum contingenter existant, ad existendum alio indigent; ut adeo stante definitione Cartesii unica daretur substantia necessaria, Entia vero contingentia e numero substantiarum penitus excluderentur.

b) *Spinoza* definitione Cartesii abutens, nomen *Substantiae* proprie soli Deo, ceteris vero Entibus improprie tantum convenire ait ita, ut Entia alia proprie *Accidentia* Substantiae proprie talis, seu Dei debeant dici. — Unde per substantiam proprie talem intelligit *id, quod in se est, et per se concipitur, hoc est, id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat;* voces autem istas *in se, per se* ita sumit, ut existimet, existentiam pertinere ad essentiam substantiae, ab illaque abesse nunquam posse. — Ceterum quia Spinoza nullam rationem assignat, nec assignare potest, quare

existentia debeat dici nota necessaria substantiae, et quare praeter substantiam *necessariam*, *absolutam*, et *infinitam* non possint etiam cogitari substantiae *contingentes*, *conditionatae* ac *finitae;* ideo definitionem Substantiae a Spinoza prolatam ut non fundatam, et arbitrariam rejicimus: cum autem *Pantheismum* suum arbitrarie huic definitioni superstruat, istius quoque fundamenta vacillare jam vel ex his intelligimus.

c) *Lockius* substantiam *fulcri*, vel *baseos* instar concipit, cui attributa tamquam *columnae* innitantur. Ex crassa hac substantiae notione sequentibus temporibus gravissimi substantiam ab accidente penitus distinguentium enati sunt errores; sententiae certe Kantii de Substantia prima origo in falsa hac notione jure quaeri potest; si enim Substantia baseos, Accidens columnae instar concipiatur, Substantia, et Accidens possunt a se differre realiter, nihilque obstat, quominus ad intellectum transferantur, et formae intellectus, conceptusque puri appellentur.

d) *Leibnitius* et *Wolfius* Substantiam dicunt esse subjectum perdurabile, viribus praeditum, et diversarum modificationum capax. — Sed etiam haec definitio definito suo angustior est: non enim substantiam necessariam seu Deum includit, qui mutabilis, seu modificabilis esse non potest.

His sententiis critice propositis, nostram sic depromimus: *Substantia etymologice* significat id, quod alteri substat, ita e. g. *dicitur paries substantia*, *quatenus albedini substat*. *Substantia metaphysico sensu sumta* est subjectum ultimum perdurabile omnium determinationum suarum, quod alterius Entis determinatio esse nequit, ac proinde tale, quod, si existit, ita existat, ut alteri subjecto ut praedicatum non inhae-

reat: illud vero, quod alteri qua subjecto inhaeret, quodque nequit existere, nisi ut determinatio alterius, *Accidens* vocatur; e. g. *anima est substantia, quia existit, quin sit determinatio alterius: ratio autem est Accidens, quia per se non existit, sed animae ut determinatio inhaeret.*

Proinde requisita essentialia substantiae sunt: a) ut possit existere, quin debet esse determinatio alterius Entis, et quin debeat alteri qua subjecto inhaerere: b) ut sit subjectum perdurans saltem aliquo tempore; c) debet esse subjectum ultimum quarumvis suarum determinationum ita, ut hae omnes eidem quasi substrato inhaereant; d) denique debet agere vel pati posse. Unde substantia etiam *Ens per se* (non *a se*) *existens*, aut *Ens subsistens*, existentia vero ejusdem *subsistentia* appellatur.

Quod *Accidens* attinet, istud *proprie*, vel *improprie* sumitur. *Accidens improprie* seu *in sensu lato sumtum* est quaevis determinatio Enti inhaerens seu interna, seu externa, seu necessaria, seu contingens: *Accidens* vero *proprie*, seu *stricte dictum* est talis determinatio, quae Enti adesse, vel abesse potest, quin Ens illud esse desinat, quod est. — Igitur ad hoc, ut quidpiam proprie Accidens sit, requiritur, a) ut alteri Enti ut determinatio inhaereat, b) ut determinatio contingens sit, seu deinde externa, seu interna. Unde Accidens proprie dictum etiam *Ens in alio*, aut *Ens inhaerens*, *variabile*, existentia vero ejusdem *Inhaerentia* vocatur.

A Substantia *metaphysica* debet distingui Substantia *logica*, et *physica*. Substantia *logica* est conceptus quivis, qui in judicio subjectum agere potest, et de quo alter conceptus ut praedicatum cogitatur: Substantia vero *physica*

est totum reale, cui partes inhaerent. — Nobis de Substantia *metaphysica* est sermo, dum sequentes probamus

Propositiones.

1-ma. ***Omne Ens vel est Substantia vel Accidens.***

Omne Ens vel est tale, ut possit existere, quin sit determinatio alterius, vel tale, ut non possit existere, quin sit determinatio alterius: si *primum* dicatur, est Substantia: si *alterum*, est Accidens; ergo vera est propositio.

2-da. ***Accidentia non possunt existere nisi in Substantiis.***

Accidentia dicuntur illa, quae non possunt existere nisi ut determinationes alterius Entis: sed determinatio sine determinato existere non potest; ergo Accidentia existunt in determinato: atqui determinatum hoc, cui Accidentia inhaerent, est Substantia; inter Substantiam enim, et Accidens medium non datur.

3-tia. ***Accidentia a Substantiis re ipsa non distinguuntur.***

a) Accidentia non possunt existere nisi in Substantiis (*Prop. 2-da*): quod autem nequit existere nisi in alio ut determinatio, ab isto alio re ipsa non distinguitur. b) Substantia ac Accidens dum in Ente distinguuntur, unum idemque Ens sub variis tantum respectibus consideratur,

nempe jam ut constans, et perdurabile, jam ut variabile: sed diversus respectus diversitatem realem non infert; c) dum determinationes rerum, e. g. ***rotunditas***, ***magnitudo***, ***durities***, ***albedo*** a rebus ipsis abstrahuntur, logice tantum, seu cogitando, non autem realiter secernuntur; sicut enim materia sine omni forma, ita forma sine materia re ipsa existere non potest. — Ideo jam antiqui recognoverunt distinctionem inter Substantiam, et Accidens, distinctionem ***Rationis***, non ***Rei*** esse; illi autem, qui nimio abstrahendi pruritu abrepti post Platonicos veteres materiam a forma seperaverunt, in inanes de ***entitatibus***, ***entitatulis***, ***qualitatibus***, ***modisque superadditis*** disputationes, et gravissimos errores sunt prolapsi.

4-a Substantiae vere existunt.

Nam Accidentia non possunt existere sine Substantiis, neque ab his realiter distinguuntur (***Prop.*** 2-*a et* 3-*a*.); igitur si existunt Accidentia, ut determinationes inhaerentes, subjectum quoque ipsarum absolutum, et constans existere debet: sed Accidentia existunt, subjectum vero ipsorum absolutum, et perdurabile est Substantia; ergo Substantiae vere existunt.

5-a Substantias rerum noscimus.

Determinationes enim rerum sub sensus cadentium ope sensus externi, et interni noscimus ***immediate:*** jam vero determinationes istae sensibus perceptae a re ipsa separatae sensus non afficiunt, sed res illis determinationibus, seu qualitatibus affecta sensus percellit, agit, patitur, sic-

que variatur; non est extensio sine extenso, non figura sine figurato, non durities sine re dura, non porositas sine corpore poroso; agere, pati, resistere etc. non Accidentium, et qualitatum, sed materiae, et Substantiae materialis propria sunt: idem de anima humana relate ad ea, quae in se interne sentit, dicendum est; recipere namque impressiones factas in organa sensoria, his respondentes repraesentationes sensuales efformare, ad has attendere, intuitus continuare, abrumpere, hisque similes aliae actiones, et passiones non ad phaenomena sensus interni (ut Kantio placet), sed ad animam ipsam, ejusque Substantiam pertinet. — Igitur cognitis qualitatibus rerum ope sensuum *immediate*, et *intuitive*, Substantias quoque earundem *mediate* et *discursive* noscimus, i. e. non cernimus quidem Substantias metaphysicas, sed tantum intelligimus tamquam absoluta substrata eorum, quae sensu externo, vel interno precipimus: quare nostra de Substantiis seu Entibus per se cognitio quoad materiam = X dici prorsus non potest.

II.

Vires Substantiarum.

Ad notionem Substantiae pertinet ante omnia notio *Virium*; non enim noscimus Substantias rerum metaphysicas immediate, et intuitive, sed tantum mediate, et discursive imprimis e Viribus, quas exserunt. Est vero Vis illud in Ente, in quo ratio mutationum ejusdem continetur; *e. g. quod nunc brachium elevem, est mutatio vera in me, quia antea idem non elevavi: ratio hujus elevationis est Vis brachii mei, hinc enim intelligitur, quare brachium elevem, aut ele-*

rare possim; unde *Vis* in genere recte dicitur etiam principium universale internum mutationum Entis.

Ad duas autem classes possunt revocari universim quaevis mutationes Entis, nempe ad *Actiones* et *Passiones*. Ens dicitur *agere* cum mutationes producit, dum vero mutationes recipit, *patitur;* hinc *Actio* est mutationum productio: *Passio* autem est mutationum receptio; et facultas mutationem producendi *Activitas*, aut *Spontaneitas*, facultas vero mutationem recipiendi *Passivitas*, aut *Receptivitas* appellatur; e. g. *dum artifex ex marmore statuam efformat, agit, actionem ponit, activitatem exercet, marmor vero patitur, passionem subit, receptivitatem prodit.*

Actio vel est *absoluta* vel *conditionata*, vel *transitiva* vel *intransitiva*. Actio *absoluta* alias *pura* est, quae a nulla alia causa pendet: secus est *conditionata*, alias *hypothetica*; e. g. *actio Dei est absoluta, hominis vero conditionata; ille enim a nullo, iste ab alio pendet in agendo. Actio transitiva* est, qua mutatio in alio Ente producitur; unde etiam *Influxus* dicitur: *intransitiva* vero alias *immanens* est, qua Ens in se ipso efficit mutationem; e. g. *anima nostra dum cogitat, immanenter agit, dum corpus dirigit, in hoc influere dicitur.* Influxus vel est *simplex*, vel *reciprocus*: ille tunc adest, cum Ens unum in aliud agit, quin istud reagat: si autem Entia in se mutuo agant, est *Influxus reciprocus*, et actio Entis reagentis dicitur *Reactio*, mutua vero actio, seu actio, et reactio *Conflictus*, aut *Antagonismus substantiarum* audit: e. g. *anima dum in corpus agit quin istud reagat, simpliciter influit, quatenus cor-*

pus quoque reagit adest influxus reciprocus, et anima cum corpore dicitur confligere.

Dum substantiae in se mutuo agunt, ***Totum reale***, et ***dynamicum*** efficiunt; connexio vero ipsarum ***Commercium***, vel ***Communio realis***, aut ***dynamica*** appellatur. Communio haec vel est ***immediata***, vel ***mediata;*** illa tunc adest, cum Entia in se mutuo agentia communes limites spatii habent: haec vero tunc obtinet, cum Entia in distans agunt; unde Entia in communione immediata constituta ***sibi praesentia*** vocantur: illud vero Ens, quod in quaevis alia immediate agit, quin ad limites spatii restringatur, aut ullam reactionem patiatur, dicitur ***Omnipraesens: e. g. pars telluris una est in communione immediata cum altera sibi vicina; tellus cum sole in communione mediata; Deus vero est Ens omnipraesens.***

Vis Entis universim sumta a) vel est ***in actu primo***. vel ***in actu secundo.*** — ***Vis in actu primo*** est ratio, ex qua intelligitur, cur Ens quodpiam agere possit; unde etiam ***Vis in sensu lato*** vel ***Facultas*** appellatur: ***Vis*** vero ***in actu secundo*** est ratio, ex qua intelligitur, cur Ens quodpiam agat; hinc etiam ***Vis proprie*** vel ***stricte sumta*** audit; e. g. ***dum scribo, vis, dum non scribo, sed scribere possem, facultas scribendi mihi competit.*** b) Alia est Vis ***viva***, alia ***dormiens***, seu ***sopita.*** Vis ***viva*** est, quae alterius actionem impedit; hinc ***Impedimentum*** quoque vocatur; Vis vero ***sopita*** est, cujus actio impeditur. Haec si impedimentum superare nequeat, ***impotens***, secus ***potens***, aut ***valida*** dicitur: illa autem vis cujus actio nulla alia vi impediri potest, ***omnipotens*** vocatur; e. g. ***vires hominis sunt potentes, quousque impedimentis superandis sunt pares, secus sunt impotentes: Vis autem***

Dei est omnipotens. — Vis potens quia effectum suum plene sortitur ***efficax:*** impotens vero, quia effectum non habet; ***inefficax*** quoque dicitur. c) Denique aliae sunt Vires ***primitivae***, aliae ***derivativae.*** Illae sunt, quae ab aliis altioribus non pendent, omnisque Activitatis in Ente ultima ratio sunt, hinc etiam ***originariae*** vocantur: hae vero sunt, quae Vim superiorem pro communi fonte habent, unde ***secundariae*** quoque appellantur, et rursus in ***principales***, vel ***minus principales*** abeunt; e. g. ***animae nostrae Vis originaria est Conscientia***, ***derivativa intellectus***, ***minus principalis sensus.***

Complexus omnium Activitatum, et Receptivitatum Enti convenientium, ejusdem ***Naturam*** efficit; ***sic e. g. dicimus naturam plumbi esse, ut in subjecta corpora agat, et in igne liquefiat.***

P r o p o s i t i o n e s.

1-ma. ***Ubi est Vis ibi est Substantia.***

Quidquid est, vel est Substantia, vel Accidens (*A. Prop.* 1-*ma*); igitur etiam Vis vel est Substantia, vel Accidens: si ***primum***, verum est, quod asserimus: si ***alterum***, aeque ubi est Vis ibi est Substantia; Accidentia enim nequeunt existere sine Substantiis.

2-da. ***Ubi est Actio, vel Passio, ibi est Substantia.***

a) Actio, et Passio sunt Accidentia: sed Accidentia non possunt existere sine Substantiis (*A.*

Prop. 2-da.). b) Actio, et Passio Vim, ut principium suum, praesupponunt; igitur ubi est Actio, vel Passio, ibi est vis: sed ubi est vis, ibi est substantia (*Prop. 1-ma.*); ergo ubi est Actio, vel Passio, ibi est substantia.

3-*tia Substantia metaphysica unicam habet Vim primitivam.*

Nam a) Vis primitiva absolvit proprie Substantialitatem Entis; ergo si plures essent Vires primitivae Substantiae metaphysicae, deberet ipsa e pluribus Substantiis coalescere: sed hoc dici non potest; sequenti enim paragrapho probabimus Substantiam metaphysicam esse simplicem. b) Et rationi, et experientiae conformius est unicam tantum Vim primitivam Substantiis tribuere; *rationi* ideo, quia plura prima in una substantia vix concipi possunt: *expenrientiae* vero ideo, quia haec saepe jam docuit, effectus, qui pluribus adscribebantur Viribus, re ipsa unius Vis effectus fuisse; atque his spectatis non male dicitur ab aliquibus substantia metaphysica *„systema virium derivatiivarum, quae pluribus Viribus principalibus, et uni vi primitivae sunt subordinatae.*"

4-ta. *Vim primitivam snbstantiarum perfecte non noscimus.*

Ad perfecte noscendam Vim primitivam substantiarum necesse foret earundem essentiam metaphysicam plene cognoscere; sed istud limitati intellectus nostri non est (§. *IV*, 4. *Prop.* 3-*a*). Hinc quandocunque de viribus primitivis Entium loquimur, hoc tantum innuimus, nos porro altiores Vires detegere non valere.

5-ta. ***Substantiae metaphysicae semper sunt activae.***

Quia a) substantia metaphysica habet vim primitivam: sed Vis primitiva e notione sua nisum agendi perpetuum involvit, et quod re ipsa non agat, vis potentior impedit. b) Quaevis substantia adminus aliquarum determinationum suarum, et connexionum cum aliis substantiis semper est principium reale: sed hoc significat activum esse. c) Si substantia metaphysica semper activa non esset, non esset actualis, sed tantum possibilis, character enim actualitatis est activum esse: jam vero substantialitas est tantum praedicatum Entium vere existentium. d) Si substantia metaphysica aliquando tantum, et non semper ageret, *saltus* admitteretur in Natura; esset enim transitus a perfecta inactivitate ad activitatem perfectam: sed secundum principia cosmologica Natura saltus accusari non potest; igitur substantia metaphysica adminus aliquatenus semper debet esse activa.

6-a. ***Communio mediata substantiarum non repugnat.***

Tunc enim dicuntur substantiae esse in communione mediata, dum sibi quidem non sunt in propinquo, sed per reciprocam Virium actionem connectuntur: jam vero hoc fieri posse, vel systematis planetarii ratio abunde loquitur, in quo corpora coelestia, etsi a se in immensum dissita, reciproca Virium suarum actione stupendam hanc molem Universi sustentant: id ipsum probant physici exemplo magnetis etiam corpora remota attrahentis etc; igitur cum ab esse ad posse va-

leat argumentum, communio mediata substantiarum non repugnat, seu, quod idem est, possunt substantiae *agere in distans*. Utrum re ipsa agant? cum e principiis metaphysicis demonstrari non possit, physicis determinandum relinquimus; hoc unum expetentes, ne, si affirmative responderint, superstitioni illi, crassaeque ignorantiae plebis, qua ex *Actione in distans effectus caducei*, *curae morborum sympatheticae*, *influxus mortuorum in vivos*, *viventium in absentes* explicantur, formentum addant.

Scholion.

a) Quia *substantialitas* Activitatem arguit, et ideo Entis existentis praedicatum est; caveri debet, ne cum *Essentia* confundatur; cum enim Essentia etiam *logica* detur, quodlibet Ens etiam mere possibile habet suam Essentiam, substantialitatem vero entia solum existentia habent. Unde omnis quidem substantia habet suam Essentiam, haecque ipsi ut necessaria determinatio inhaeret: sed vice versa non omnis Essentia habet suam substantiam.

b) *Natura* Entis si *latius* sumatur, nempe tam pro ratione possibilitatis, quam pro ratione existentiae mutationum ab *Essentia* non differt: sed si *stricte* accipiatur (sicut nos accipimus) distinguitur ita, ut Essentia ad internam possibilitatem Entis pertineat; Natura vero denotet vim existentiae adhaerentem. — Unde Entia solum possibilia Essentiam, existentia vero praeter Essentiam et Naturam habent; *sic e. g. dum anima non Essentia, sed Natura sua dicitur immortalis*, *hoc innuitur, quod licet ipsa ut Ens contingens absolute possit etiam non existere; postquam tamen his viribus dispositionibusque ornata existit, quae ejusdem perpetuam durationem exigunt, non potest non existere*

semper. Dum vero Deus Essentia sua statuitur immortalis, hoc significatur, quod absolute nec cogitari possit, nisi ut semper existens.

c) Ens, cui *substantialitas* competit, seu *subsistentia*, vocatur *suppositum*, et, si ratione sit praeditum, *Persona* audit; ut igitur quidpiam *suppositum* possit dici, sui juris debet esse ita, ut principium internum adaequatum sit suarum determinationum, et cum alio nexu physico non conjungatur; *e. g. arbor est suppositum, rami vero ejus non sunt supposita, quoad arbori inhaerent, sed tantum partes suppositi, scilicet arboris: homo non tantum est suppositum, sed simul Persona.*

§. VII.

Compositum vel Simplex.

Compositum est Totum, quod constat partibus; unde quod partes non habet, appellatur ***simplex***. Compositum ita, sicut quodvis Totum (§. *IV.* 5.) aliud est ***reale***, aliud ***ideale;*** illud est, quod habet partes etiam nemine cogitante a se distinctas: istud vero est, in quo partes nostra tantum cogitatione distinguuntur; e. g. ***Corpus hominis est compositum reale, anima autem ideale; in illo enim re ipsa, in hac cogitando solum partes distinguuntur.*** — Compositum ***reale*** subdividitur in ***late***, et ***stricte*** tale; Compositum reale ***sensu lato*** est aggregatum partium sine nexu: compositum reale ***sensu stricto*** est aggregatum partium inter se connexarum, et mutuo agentium; e. g. ***cumulus lapidum est compositum in sensu lato, horologium vero compositum in sensu stricto; in illo enim non, in isto***

autem adest connexio partium. — Hic loci de composito reali stricto sensu sumto, huicque opposito simplici Ente demonstrantur.

Propositiones.

1-ma. ***Essentia Entis compositi consistit in certo nexu partium.***

Illud constituit Essentiam cujuslibet Entis, per quod ens est id, quod est, et non aliud: sed Ens compositum per hoc tantum efficitur istud, et non aliud compositum, quod partes certo modo inter se nectantur; si enim partes non connecterentur, aut aliter connecterentur, compositum non, vel aliud quam nunc est, oriretur; e. g. *ut Horologium sit horologium, debent partes illius, nempe rotaë elaterium, pendulum etc. inter se connecti certo modo; secus enim aut nullum, aut aliud, quam horologium, nasceretur compositum.*

2-da. ***Connexio partium composito est necessaria; partibus vero contingens.***

Nam Essentiae Entium sunt necessariae (§. *IX.* 1. *Prop.* 5-*a*); sed connexio partium constituit essentiam Entis compositi (*Prop.* 1-*ma*); igitur connexio partium ipsi composito est necessaria. *Sed partibus contingens;* quia

Una quaevis pars compositi potest seorsim esse, et cogitari extra consociationem reliquarum partium: sed si quaevis pars extra consociationem reliquarum esse, et cogitari potest, nexus a partibus potest abesse; igitur oppositum nexus partium est possibile: sed cujus oppositum est pos-

sibile, contingens est; ergo connexio partium partibus est contingens.

3-ia. *Ens quodvis compositum ultimo in Entia simplicia resolvitur.*

Nexus partium in composito est contingens (*Prop.* 2-*da.*), igitur potest tolli: sublato nexu vel remanebit aliquid, vel nihil: nihil remanere non potest; sic enim compositum non aliud fuisset, quam merorum nihilorum nexus, et nexuum congeries: sed hoc repugnat; repugnat namque nexus sine partibus; ergo sublato nexu in composito debet aliquid remanere, sed istud aliquid simplex esse debet; quia secus contra hypothesim nexus non fuisset penitus sublatus; ergo vera est propositio.

4-ta. *Si compositum consurgat e Substantiis, illae debent esse simplices.*

In omni enim Composito non aliud datur, quam partes, et harum nexus: atqui nexus substantia non est, sed tantum relatio substantiarum; ergo partes debent esse substantiae: sed partes illae sunt simplices; probavimus quippe compositum ultimo resolvi in simplicia (*Prop.* 3-*ia.*); igitur vera est propositio.

5-ta. *Substantia metaphysica est Ens simplex.*

Ponamus substantiam metaphysicam esse compositam, ponemus in ipsa adesse partes, et harum nexum: nexus autem partim non est substantia; ergo illae partes debent esse substantiae: sed si e substantiis coalescat compositum, istae debent

esse

esse simplices (*Prop. 4-ta*); ergo omnis substantia est Ens simplex. — Hinc quia omne compositum consurgit e substantiis simplicibus, appellatur etiam *Compositum substantiale.*

6-ta *Compositum substantiale potest oriri, quin oriatur ex nihilo, et interire, quin abeat in nihilum.*

Quia a) *Ortus* est transitus possibilis in statum actualitatis, seu existentiae; igitur tunc *oritur* compositum, dum e possibili fit existens: potest vero Compositum e possibili fieri existens, quin ex nihilo prodeat; ad hoc enim nihil requiritur aliud, quam ut partes prius non connexae certo modo connectantur; sed partes possunt connecti, quin ante connexionem non existant, seu e nihilo oriantur; ergo etiam Compositum potest oriri, quin oriatur e nihilo.

b) *Interitus* est transitus existentis in statum possibilitatis; igitur tunc *interit* Compositum, cum ex existente fit possibile: jam vero potest Compositum existens fieri possibile, quin abeat in nihilum; ad hoc enim tantum requiritur dissolutio nexus partium, sed nexus partium potest tolli, quin partes ipsae abeant in nihilum; ergo Compositum quoque potest interire, quin abeat in nihilum; e. g. *ut domus exsurgat, non est necesse ut partes ipsius nempe lapides, ligna etc. prius non existant: et ut domus destruatur, partes illius non debent abire in nihilum.*

7-ma. *Substantia simplex si oritur, debet oriri e nihilo: et si interit, debet abire in nihilum.*

Nam a) si substantia simplex non oriretur e nihilo, oriretur vel ex Ente simplici, vel e composito: sed neutrum potest esse. Non *primum;* cum enim Ens simplex careat partibus, non possunt ab illo partes avelli, e quibus novum Ens simplex oriretur; non etiam *alterum;* nam quod ex Ente composito oritur, hoc vel per novam compositionem partium vel per harum dissolutionem oritur: sed Ens simplex per novam compositionem partium oriri nequit; quod enim sic oritur, compositum est; neque per dissolutionem partium potest oriri: nam soluto nexu remanent quidem partes, quae jam prius in composito erant, sed non oriuntur. Igitur cum Ens simplex neque ex alio simplici neque e composito possit oriri, necesse est, ut e nihilo oriatur.

b) Si Substantia simplex intereundo in nihilum non iret; deberet habere partes adminus duas, unam qua diceretur interire, alteram, qua existeret, et nondum abivisset in nihilum: sed substantiam simplicem habere partes repugnat; igitur substantia simplex nequit interire, quin abeat in nihilum.

8-va. *Compositum substantiale est in existendo contingens.*

Nexus partium in composito ipsis partibus est contingens (*Prop. 2-da*); potest itaque singula pars compositi seorsim existere: sed si pars una a ceteris separata existat compositum non existit; ergo compositum substantiale ita existit, ut

illius oppositum, seu non existentia non repugnet, quod autem tale est, contingens est.

9-a. *Ens in existendo necessarium est simplex.*

Ens compositum est in existendo contingens (Prop. 8-va); ergo quod non est contingens, non est compositum: sed Ens in existendo necessarium non est contingens; igitur neque compositum: quod autem compositum non est, est simplex; ergo Ens in existendo necessarium est simplex. Cave tamen ne hinc concludas, omnem substantiam simplicem esse in existendo necessariam; etsi enim Ens in existendo necessarium sit simplex, Ens tamèn simplex in existendo contingens quoque esse posse, deinceps apparebit.

10-ma. *Entis compositi quantitas desumenda est a numero partium, et gravitate nexu inter illas intercedentis.*

Inde desumenda est quantitas compositi, unde illa augmentum aut decrementum capit: sed crescente aut decrescente numero partium, et gravitate nexus inter has intercedentis quantitas compositi crescit, aut decrescit.

11-ma. *Ens simplex non habet quantitatem realem, sed tantum idealem.*

Quantitas supponit numerum, et multitudinem partium, sed Ens simplex partes excludit; igitur non habet quantitatem proprie dictam, seu realem, *sed tantum idealem;* nam

Etiam in Ente simplici possunt concipi variae determinationes; ergo etiam in Ente simplici pos-

sunt repraesentari plura: sed ubi plura repraesentari possunt, ibi adest quantitas idealis, vel improprie dicta; ergo Ens simplex quoque habet quantitatem idealem; e. g. *dum animae nostrae diversas facultates a se re ipsa non distinctas attribuimus, ejusdem quantitatem idealem significamus.*

Scholion.

Kantius principio suo conformiter, quo omnem cognitionem humanam ad limites solius experientiae restringit, asserit nullum Ens simplex existere; cum quidquid existit, et a nobis cognoscibile est, in spatio esse, partesque extra se positas habere contendat; unde notionem Simplicitatis appellat partum solius rationis, seu *ideam*, cui nulla experientia respondet, et quae nec ad phaenomena nec ad noumena applicari possit (*Vid. Kritik d' r. Vern. s.* 463.) — Huic nos in *Cosmologia*, et *Psychologia* pluribus respondebimus determinaturi utrum, et quae dentur substantiae simplices. — Hic illud tantum animadvertimus, *notionem simplicitatis* ita non esse ideam rationis (sensu Kantii) sicut non est *notio compositi;* illa enim ex hac derivatur, quatenus nempe per negationem partium efformatur; quod deinde notione simplicitatis respondens objectum non deprehendatur in experientia, hoc tantum arguit, quod Entia simplicia intueri externe non possimus; non autem, quod nec alia via cognoscere queamus. *Cf.* §. *IX. Introductionis meae in Metaphysicam.*

§. XIII.

Extensum vel Inextensum.

Extensum dicitur illud Ens, quod habet partes extra se positas inter se tamen connexas

vel vere, vel tantum ad sensum seu ad speciem; *Inextensum* vero est, quod partibus extra se positis destituitur; e. g. *mensa est extensa; habet enim partes extra se positas connexas tamen: anima vero nostra est inextensa, quia caret partibus extra se positis.* Unde *Extensio* est positio partium connexarum extra partes, et limes extensi *Superficies*, superficiei *Linea*, Lineae *Punctum* vocatur.

Extensum vel est *continuum*, vel *interruptum;* illud est, cujus partes ita connectuntur, ut inter illas quaepiam interponi non possint: istud est, cujus partibus quidpiam interseri potest; e. g. *Tabula vitrea est extensum continuum, cribrum vero interruptum.* Continuum aliud est *mathematicum*, aliud *physicum*; Continuum *mathematicum* est, cujus partibus nihil interseri potest absolute. Continuum *physicum* est, cujus partibus judicio sensuum nihil potest interponi, re ipsa autem potest; *tale continuum physicum est tabula vitrea, cujus partes ita connexae videntur, quasi illis nihil posset interseri, re ipsa tamen exiguis intervallis sensus effugientibus a se distant.*

Entia illa, inter quae alia interponi possunt, appellantur *distantia* vel *remota:* illa vero quae ita prope coëxistunt, ut ipsis immotis interseri nihil possit, *confinia*, vel *contingua* vocantur. Distantia major *Longinquitas*, minor *Propinguitas* audit: ubi vero nulla est Distantia, ibi *Contactus*, vel *Contiguitas* habet locum. Contactus vel est *mathematicus*, vel *physicus;* ille est, quo omnis distantia inter Entia absolute excluditur: hic vero est, quo distantia minima sensibus non perceptibilis excluditur.

Propositiones.

1-ma. *Omne extensum est compositum; et omne inextensum est simplex.*

Nam a) Extensum dicitur illud, quod habet partes extra se positas, et connexas: sed etiam compositum habet partes extra se positas, et connexas; ergo omne extensum est una compositum, nec distinguuntur duae hae notiones aliter, nisi quod notio *extensi* includat notionem *spatii*, non aeque notio compositi.

b) Inextensum est illud, quod non habet partes extra se positas, et inter se connexas: sed quod tale est, simplex est; ergo quod est inextensum, est una simplex.

2-da. *E substantiis extensum mathematicae continuum fieri nequit.*

Extensum namque mathematice continuum est illud, cujus partes ita cohaerent, ut illis absolute nihil possit interponi: sed substantiae tam arcte cohaerere non possunt;

Quia Substantiae sunt simplices (*§. XII. Prop. 5-ta*): sed Entia simplicia se ita contingere non possunt, ut ipsis absolute nihil possit interponi; vel enim se contingerent in toto, vel in parte; si *in toto*, occuparent unicum punctum indivisibile spatii, et sic nullum extensum formarent; si *in parte*, deberent constare adminus duabus partibus, una, qua se contingerent, altera, qua se non contingerent, et sic essent com-

posita: jam vero hoc est absurdum; igitur vera est propositio.

3-tia *Omne externum substantiale est extensum interruptum.*

E substantiis extensum mathematice continuum oriri nequit (*Prop.* 2-*da*; igitur si existat extensum substantiale partes illius ita se debent tangere, ut saltem minimis intervallis, etsi sensu non perceptibilibus inter se distent: sed tale extensum, cujus partes a se distant, vocatur interruptum; ergo extensum substantiale est extensum interruptum.

Corollarium.

Ex his apparet, ea omnia, quae ut composita, et extensa existunt, quantumvis secus partes cohaerentes videantur habere, re ipsa esse interrupta, non nisique *continuitatem* et *contiguitatem physicam* ipsis competere; *continuitatem* vero, et *contiguitatem mathematicam* in rerum natura non existere, sed esse tantum idealem,

§. XIV.

Finitum, vel Infinitum.

I.

De Finito, et Infinito in genere.

Finitum in genere est, quod certis limitibus est circumscriptum; quod autem nullos habet

limites, *Infinitum* dicitur. Finitum, cujus limites determinare non possumus, aut nolumus, *Indefinitum*, vel *Infinitum imaginarium*, aut *mathematicum* appellatur.

Limes, seu id, ultra quod nihil est, quod ad Ens pertineret, a) alter est *extensionis*, alter *intensionis*: *Limes extensionis* est, ultra quem partes Entis compositi non porriguntur: *Limes intensionis* est, ultra quem realitates, et vires Entis non progrediuntur; e. g. *Hominis corpus habet limitem extensionis, quatenus partibus certo numero definitis constat, intensionis vero, quatenus vires illius ad determinatum terminum restringuntur.* b) Limes alter est *necessarius*, alter *contingens*; Limes *necessarius* est, cujus ratio in essentia Entis continetur, unde etiam *essentialis*, vel *Malum metaphysicum* vocatur: Limes *contingens* est, qui ex adjunctis Enti externis intelligitur, hinc etiam *extra essentialis* nuncupatur; e. g. *Intellectus humanus habet limitem essentialem quatenus non omnia potest cognoscere: meus praeterea limitem extra essentialem, quatenus propter adjuncta, in quibus positus sum, multa non valeo cognoscere.*

Propositiones.

1-ma. *Quod sine fine augeri potest, est finitum.*

Quod sine fine augeri potest, illud relate ad numerum, aut gradum realitatum majus, et majus esse potest, adeoque non habet omnia, quae habere posset: sed quod tale est, ei aliquid deest,

cui vero aliquid deest, limitem habet, quod limitem habet finitum est; igitur quod sine fine augeri potest, finitum est.

2-da. *Numerus actualis infinitus repugnat.*

1. *Numerus* est multitudo unitatum: sed nulla multitudo unitatum potest concipi tanta, quae adjectione unitatis non posset augeri; igitur numerus quivis e notione sua sine fine potest augeri: sed quod sine fine potest augeri finitum est (*Prop. 1-ma*).

2. Si numerus infinitus existeret, et esset numerus, et non esset; esset, prout supponitur, sed etiam non esset, quia per ipsum *numeratio* institui non posset; ad numerationem enim hoc requiritur, ut numerus datus augeri, vel minui possit; sed numerus infinitus nec augeri nec minui potest. — *Non potest augeri;* infinitum enim est, quod nullum habet limitem, proinde quo majus nec esse, nec concipi potest; sed quod tale est, augeri non potest; ergo Numerus infinitus augeri non potest. — *Non potest etiam minui*; concipiamus enim ex ipso subtrahi unitatem, hac subtracta quaeri potest, an numerus pro infinito assumtus maneat infinitus, vel non? infinitus manere nequit; quia jam unitate est minor, quam ante fuerat; et hac reddita augeri poterit: si non manet infinitus, nec restituta substracta unitate reddetur infinitus; secus enim unitas haec subtracta, et restituta in ratione numeri plus foret, quam reliquae unitates omnes, efficeret, quippe numerum infinitum sola, quem omnes reliquae unitates constituere non possent: sed hoc pugnat cum notione numeri, et unitatis, quae nec numerus est, sed tantum initium numeri; ergo numerus infinitus

nec minui potest. Igitur si numerus infinitus existeret, et esset numerus, et non esset; ergo numerus actualis infinitus repugnat.

3-a *Ens infinitum est realissimum.*

Limes enim est negatio ulterioris realitatis; igitur ubi non est limes, ibi non est negatio seu defectus realitatis ullius, verum omnes realitates ita alto in gradu adsunt, ut major nec esse, nec concipi possit: sed Ens infinitum nullum habet limitem; igitur nec habet defectum ullium realitatis: quod vero tale est, realissimum est (§. *IV.* 2.); ergo Ens infinitum est realissimum.

4-ta *Ens infinitum est interne absolute immutabile.*

Interne absolute immutabile illud Ens dicitur, cujus status internus nunquam potest alter esse, ac est: sed Entis Infiniti status internus nunquam potest esse alter, ac est;

Nam si Status internus Entis infiniti posset alter esse, hoc fieret per accessionem novae alicujus determinationis positivae, vel negative: sed Enti infinito nulla determinatio positiva, aut negativa potest accedere: non *positiva*, quia sic acciperet realitatem, quam prius non habuit, quod notioni Entis realissimi (quale esse Ens infinitum *Prop.* 3-*a* probavimus) repugnat; non *negativa*, quia sic haberet defectum, et limitem quod iterum notio infiniti non admittit; ergo Ens infinitum quoad statum suum internum absolute nequit mutari, est itaque interne absolute immutabile. Unde vice versa Ens interne absolute immutabile est una infinitum.

5-a. *Ens finitum est mutabile.*

Quia Ens finitum dicitur, quod limitem habet, adeoque incrementi, et decrementi capax est: sed quod tale est, potest novas determinationes accipere: quod novas determinationes potest accipere, illius status potest esse alter, ac est, cujus status potest esse alter, ac est, illud est mutabile; ergo Ens finitum est mutabile. Hinc vice versa intelligitur, Ens mutabile esse finitum.

Corollarium.

a) Quovis finito majus et esse, et concipi potest; finitum enim est, quod certis limitibus est circumscriptum: quod vero tale est, illo majus aliquid et esse, et concipi potest.

b) Infinito majora nec esse, nec concipi possunt; infinitum namque est illud, quod nullos limites admittit: quod autem tale est, eo majus nec esse, nec concipi potest.

c) Compositum substantiale, et extensum reale infinitum repugnat; si enim aliquid horum esset, existeret numerus partium infinitus: sed numerus actualis infinitus repugnat (*Prop.* 2-*da.*); ergo etiam Compositum substantiale, et extensum reale infinitum repugnat.

d) Omne Ens finitum est contingens, et vice versa; finitum enim est mutabile (*Prop.* 5-*a.*): sed quod est mutabile est contingens (§. *X. Prop.* 2-*da.*); igitur omne finitum est contingens.

e) Ens infinitum est necessarium, et vice versa; nam Ens infinitum est immutabile (*Prop.* 4-*ta.*): sed quod est immutabile, hoc est necessarium (§. *X. Prop.* 1-*ma.*); igitur quod Ens infinitum est, simul necessarium esse debet.

III.

De substantia finita, et infinita in specie.

Substantia infinita illa est, quae omnes possibiles perfectiones habet in gradu altissimo, seu quae talibus realitatibus gaudet, quibus nec quoad numerum plures, nec quoad gradum majores vel cogitari possunt: illa vero *Substantia*, cujus perfectiones quoad numerum, et gradum augeri possunt, *finita* appellatur.

Propositiones.

1ma *Substantia infinita est possibilis.*

Substantia infinita est Ens infinitum, non habet quippe limitem suarum realitatûm: sed Ens infinitum est realissimum (*A. Prop.* 3-*a*), Ens autem realissimum est possibile (§. *IV.* 2. *Prop.* 6-*a*); ergo substantia infinita est possibilis.

2-da. *Substantia infinita existit una.*

1. Substantia infinita est realissima: sed talis non esset, nisi ut possibilis una semper existeret; quia in hoc casu non contineret rationem sufficientem existentiae in se, sed ab alio deberet ad existendum determinari, ac proinde ab isto dependeret: sed quod rationem sufficientem existentiae in se non habet, et ab alio independens non est, realissimum dici nequit; ergo substantia infinita, nisi una semper existat, realissima, seu perfectissima non est; atque sic et esset infi-

nita et non: quod cum absurdum sit, substantia infinita possibilis una existere debet.

2. Habere rationem sufficientem existentiae suae in se est vera realitas; igitur si substantia infinita existit, ita debet existere, ut rationem sufficientem existentiae suae in se contineat: sed quod tale est, Ens in existendo necessarium est, Ens autem in existendo necessarium nequit esse mere possibile, sed una semper existens (§. *IX.* 2. *Prop.* 2.); igitur neque substantia infinita potest esse possibilis, quin una existat.

3. Idea Substantiae infinitae involvit ideam *Entis absoluti*; sed idea Entis absoluti non est solum principium regulativum animae, sed una constitutivum (§. *IX.* 2.); ergo idea quoque substantiae infinitae tale principium esse debet: si vero hoc est, illi objectum reale respondere debet, non respondebit autem, nisi illud sit semper existens; igitur substantia infinita possibilis una semper existere debet.

3-a. *Substantia infinita habet vim infinitam.*

Si enim vis substantiae infinitae non esset infinita, esset limitata, et finita: sed hoc notioni substantiae infinitae repugnat, quae omnem limitem excludit, non nisique puras, et illimitatas determinationes admittit; igitur vis substantiae infinitae limitata esse nequit quod autem limitatum non est, infinitum est; ergo substantia infinita habet vim infinitam.

4-a *Substantia infinita sufficit omnibus possibilibus extra se producendis, et productis quibusvis destruendis.*

Nam Substantia infinita habet vim infinitam (*Prop.* 3-a): sed vis infinita sufficere debet ad

possibilia quaevis producenda, et producta destruenda; si enim vel in unius possibilis produtione, aut producta destructione impediretur, infinita non esset: sed hoc repuguat; igitur substantia infinita quaevis possibilia producere, et producta destruere potest.

5-ta. *Substantia infinita unica solum est possibilis.*

Ponamus plures, aut saltem duas substantias infinitas esse possibiles, in hac hypothesi vel poterit altera alterius actionem impedire, vel non poterit: si *poterit;* hoc ipso illa substantia cujus actio impedietur, habebit vim limitatam, adeoque infinita non erit: si vero *non poterit*, cum utriusque vis aeque libera; et efficax supponatur, evenire poterit, ut altera substantia agat oppositum illi, quod agit altera, *altera e. g. producat Entia*, *altera eadem destruat*, sicque poterit idem simul esse et non esse; sed hoc repugnat; ergo substantia infinita unica tantum est possibilis. — Quod ipsum adhuc magis obtinet, si substantiae ex hypothesi infinitae ponantur in agendo *sibi consentire*; in hoc enim casu altera ab altera dependeret, atque non una jam, sed neutra esset infinita, cum dependentia sit character Entis finiti.

6-a. *Substantia infinita est simplex*, *et inextensa.*

Illud dicitur simplex, et inextensum, quod partibus extra se positis, et inter se connexis caret: sed substantia infinita nisi talis esset, numerus infinitus partium existeret, numerus autem talis repugnat (*A. Prop. 2-da*); ergo vera est propositio.

7-ma. *Substantia finita nec creare, nec annihilare potest.*

Creare idem significat, ac quidpiam e nihilo producere: *annihilare* vero idem est ac existens penitus destruere: sed substantia finita neutrum potest efficere. Nam

a) Si substantia finita posset quidpiam e nihilo producere, deberet habere vim infinitam; cum enim possibilia interne aeque sint possibilia (§. *III. Prop.* 5. 1.), neque ut nondum existentia resistere possint; hinc vis talis, quae vel uni possibili e nihilo producendo sufficeret, deberet una sufficere quibusvis possibilibus producendis, nullam quippe pateretur resistentiam, nullum limitem suae activitatis: sed talis vis est infinita, igitur si substantia finita posset aliquid e nihilo producere, deberet habere vim infinitam: sed vis infinita substantiae repugnat; ergo repugnat etiam, ut quidpiam e nihilo producat.

b) Ut Substantia finita quidpiam penitus destruere possit, deberet rationem sufficientem existentiae hujus tollere: sed hoc praestare non potest; deberet quippe rationem sufficientem existentiae illius in se continere, et sic Ens necessarium esse: jam vero Ens necessarium est tantum substantia infinita (1. *Corol. e. et* 2. *Prop.* 2-*da*); igitur si substantia finita rationem sufficientem existentiae cujusdam penitus tollere posset, infinita esse deberet: quod cum repugnet, substantia finita existentiam alterius penitus tollere non potest. Igitur substantia finita nec creare, nec annihilare potest.

Corollarium.

a) Cum substantia infinita sufficiat omnibus possibilibus producendis, et productis destruendis (*Prop.* 4-*a*); ipsa potest *creare*, et *annihilare*.

b) Quia *Creatio*, *et Annihilatio* vim infinitam exigunt, (*Prop. 7-ma.*), haec autem soli substantiae infinitae competit; substantia finita nec creare, nec annihilare potest, ita, ut *Creatio* et *Annihilatio* sint actiones soli substantiae infinitae propriae.

CAPUT TERTIUM.

D e

Praedicatis Entium Relativis.

Relationem talem determinationem esse, quae e comparatione plurium Entium inter se innotescit, jam saepius innuimus: tunc autem dicimur *Entia inter se comparare*, cum alterum quid respectu alterius sit, quaerimus; unde Entia inter se comparata, *Entia relata*, illud quod efficit, ut comparatio institui possit, *Fundamentum relationis*, et hoc si Entibus inter se comparatis reciproce insit, Entia talia *correlata* appellantur, *e. g. Creator et creatura.*

Quare *Praedicata Entium relativa* sunt, quae Entibus inter se comparatis universim conveniunt; qualia nos triplicis ordinis numeramus, uti: *Eadem*, *et Diversa*, *Simultanea*, et *Successiva*, *Causas* et *Effectus.*

§. XV.

Eadem et Diversa.

Entia *eadem* sunt, quae determinationes habent communes ita, ut determinatio unius etiam alterius determinatio esse possit: secus sunt *diversa*, *e. g. duo triangula sunt eadem*, *in*

quan-

quantum ambo tres angulos, et tria latera habent: diversa vero sunt, quantum magnitudine angulorum, et laterum a se differunt.

Quia determinationes illae, in quibus Entia conveniunt, vel non conveniunt, diversae, et multiplices esse possunt; *Identitas* quoque, et *Diversitas* Entium multas species numerat, nempe:

a) Identitas alia est *adaequata*, alia *inadaequata*; Entia *adaequate eadem* sunt, quae omnes determinationes habent easdem: quae autem aliquas tantum determinationes habent easdem, *inadaequate eadem* vocantur; unde illa etiam *perfecte*, *haec imperfecte eadem* recte dicuntur; *e. g. Totum aliquod cum partibus simul sumtis adaequate, cum una qualibet sui parte est inadaequate idem.*

b) Alia est *interna*, alia *externa*: Entia *interne eadem* sunt, quae quoad determinationes internas; *externe* vero *eadem* sunt, quae quoad determinationes externas conveniunt; *e. g. duo homines spectata ratione, aut eruditione interne spectata autem statura corporis externe sunt iidem.*

c) Alia est *generica*, alia *specifica*, alia *numerica*; Entia *genere eadem* sunt, quae sub eodem genere, *specie eadem* sunt, quae sub eadem specie comprehenduntur: *numero* vero *idem* est quodlibet individuum secum ipso; *e. g. Homo, et brutum genere, Socrates, et Plato specie, Socrates secum ipso numero, sunt eadem.*

d) Alia denique est Identitas *similitudinis*, alia *aequalitatis*, alia *congruentiae*; Entia *similia* sunt, quae eandem qualitatem, *aequalia*, quae eandem quantitatem, quae vero et qualitatem, et quantitatem habent eandem, *congruentia* vocantur; *e. g. pondo auri, et pondo ferri*

aequalia, libra auri, et centenarius auri, similia, libra auri, et alia libra auri congruentia Entia sunt. — Easdem divisiones admittit etiam *diversitas* Entium.

Propositiones.

1-ma. *Omnia Entia partium sunt eadem, partim diversa.*

Eadem in genere sunt, quae in quibusdam determinationibus conveniunt, diversa vero sunt, quae in aliquibus determinationibus non conveniunt: dantur autem aliquae determinationes, in quibus omnia Entia conveniunt, uti: *Possibilitas, Unitas, Ordo, Veritas*, et *Perfectio;* sed dantur etiam determinationes cuilibet Enti propriae; ergo vera est propositio.

2-a. *Quodvis Ens existens est idem numerice.*

Ad Identitatem enim numericam hoc requiritur, ut Ens aliquod semper quoad existit, idem singulare objectum, seu individuum perseveret, quod fuerat prius, quamvis secus interne, externeque mutetur, seu ut suam determinatam singularem existentiam habeat: sed quodvis Ens existens penes quasvis mutationes suas existentiam suam determinatam singularem quoad existit, constanter retinet; *sic e. g. Arbuscula, quam ante viginti annos plantavi, et quae hodie arbor magna, ramosa et fructifera est, idem individuum est, quod ante annos viginti fuerat: ego, qui modo quadragesimum primum annum vivo, idem ille sum, qui a puero interne, et*

externe multum sum mutatus; igitur Ens quodvis existens idem est numerice. — Veritas haec appellatur *Principium Individuationis*, quod non aliud est, quam *Principii Indentitatis* ad Entia existentia applicatio, et quatenus ad Entia intellectu praedita, seu *Personas* refertur, etiam *Principium Personalitatis* nominatur.

3-a. *Entia perfecte eadem non repugnant.*

Ibi non est repugnantia, ubi non est contradictio: sed ut Entia quaedam sint perfecte eadem, contradictionem non involvit; si enim hoc contradictionem involveret, vel ideo foret, quod Autor naturae Deus Entia perfecte eadem creans absque sufficiente ratione egisset; vel ideo quod talia Entia et essent duo, et unum: jam vero neutrum dici potest; *non primum*; quae enim sint in agendo sufficientes rationes Deo, humanus intellectus sine temeritate non potest metiri; *non secundum*, licet enim duo Entia in suis determinationibus prorsus convenirent, determinationes tamen unius non essent determinationes alterius, et si existerent, quodlibet ipsorum suam determinatam singularem existentiam haberet; *sic e. g. eaedem determinationes, quae animae meae insunt, possunt absolute inesse etiam animabus aliorum hominum prorsus eodem modo, quin ego cum istis unum idemque sim;* ergo possunt etiam absolute esse duo Entia perfecte eadem, quin et duo sint una et unum.

4ta. *Non existunt tamen re ipsa vel duo Entia perfecte eadem.*

Si enim Entia perfecte eadem existerent re ipsa, deberent illa quoad omnes determinationes

internas et externas ita inter se convenire, ut a se penitus non possent discerni: jam vero talia Entia re ipsa non existunt; etsi enim deprehendantur multa, quae in determinationibus internis adaequate conveniunt; tamen nulla adhuc humana sagacitas deprehendit, nec unquam deprehendet vel duo talia Entia, quae saltem quoad determinationes externas, *e. g. loci*, *temporis* etc. a se non distinguerentur. — Quod ipsum exempla e mundo tam sensibili, quam intellectuali ampla inductione desumta abunde confirmant; quis enim detexit adhuc inter innumera arboris folia vel duo in omnibus notis perfecte convenientia? quis unquam vidit in millionibus etiam hominum vel duos facie, voce, statura adaequate similes? Ubi sunt animae earundem prorsus virium, dispositionum, affectuum? ubi actiones humanae, quae secundum omnes determinationes internas, et externas perfectam identitatem haberent? — Igitur non existunt Entia vel duo perfecte eadem. Propositio haec exprimit celebre illud *Principium indiscernibilium*, quod primo Leibnitius adversus Klarke propugnavit; cui proinde circa Entia *existentia* sua constat veritas, non item circa *possibilia*.

Corollarium.

a) Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, possuntque sibi mutuo substitui.

b) Quae sunt similia, aequalia, congruentia uni tertio, talia sunt etiam inter se.

c) Quod valet de genere, valet quoque de singulis speciebus.

d) Quod enunciatur universim de specie, potest etiam enunciari de singulis ejusdem individuis: ast vicissim,

quod negatur de individuis, negare de genere vel specie fas non est.

e) Quae de specie enunciantur, cum conceptu generis pugnare nequeunt.

f) Quae habent determinationes easdem, etiam consectariorum ex iis necessario provenientium habent identitatem: et quae determinationibus a se discrepant, discrepant quoque harum consectariis; *e. g. quae sunt contingentia sunt etiam mutabilia et finita: et quae contingentia non sunt, nec mutabilia, aut finita dici possunt.* — Quorum omnium veritas cum in praemissis notionibus contineatur, totidem nobis *Axiomata* sunto. V. Esser Log. 140.

§. XVI.

Simultanea, et Successiva.

Entia *Simultanea* sunt, quae uno eodemque temporis momento existunt: *Successiva* vero sunt, quae uno eodemque temporis momento non existunt quidem, ita tamen connectuntur, ut cum alterum desinit, alterum incipiat existere; e. g. *sol, luna, terra sunt simultanea: dies vero, menses, anni Entia successiva sunt.* — Entia simultanea vocantur etiam *coexistentia*, et relatio eorum mutua *Nexus ratione Spatii*: Entia vero successiva dicuntur *succedentia*, et relatio ipsorum *Nexus ratione Temporis;* nempe ubi Entia plura simul esse posita videmus, aut saltem poni posse experimur, ibi ajimus esse *Spatium*: cum vero plura sibi succedere, aut saltem succedere posse observamus, oritur in nobis repraesentatio *Temporis*. — Ut adeo in *sensu vulgari* nihil sit facilius, quam quid sit Spatium, et Tem-

pus, determinare; *Spatium* scilicet est ordo simultaneorum, *Tempus* autem ordo seu series successivorum Entium. Ast si e philosophis, quid Spatium et Tempus sint, quaeramus, notitionibus his magis intricatum nihil deprehendimus. — Unde sit

I.

Theoria Spatii, et Temporis.

a)

Sententiae aliorum de Spatio, et Tempore.

Spatii, et Temporis notio, et notionis hujus usus omni tempore exercuit philosophorum ingenia, atque diversissimis sententiis, quibusdam etiam periculosis occasionem dedit: triplex tamen est notabilis de Spatio, et Tempore inter philosophos sententia: nempe

a) Aliqui *Platonem*, et *Aristotelem* secuti Spatium, et Tempus dicunt esse quidpiam *objectivi* et *positivi*, in quo tamquam in reali receptaculo res, rerumque status perdurent, et succedant; adeoque, quasi infinitum theatrum extra nos, in quo corpora ponuntur, moventur, et mutantur, ita ut Spatium simile sit *aeri*, cui nubes aliaque innatant, Tempus vero *rotae*, quacum circumaguntur, quae ei adhaerescunt.

b) Aliis post *Leibnitium*, et *Wolfium*, Spatium, et Tempus sunt quidpiam *relativi*, et *respectivi*, sicut est harmonia inter corpus, et animam, i. e. sunt tale quid, quod partim per objecta, partim per nostras de objectis repraesentationes determinatur, verbo sunt relationes, et

respectus, quos necessario cogitamus, cum vel re ipsa existentia objecta simultanea, et successiva, vel possibilitatem tantum simultaneitatis aut successionis rerum nobis repraesentamus.

c) Transcendentales duce *Kantio* Spatium, et Tempus considerant ut quidpiam *subjectivum* et *ideale*, ut formas et leges animae originarias, quibus omne id, quod sub sensus cadit, conformari debet ita, ut quidquid in Spatio et Tempore non existit, hoc nobis sit incognoscibile; ideo *cognoscibilitatem* restringunt ad *perceptibilitatem*. Quia vero vis percipiendi animae, seu sensus alter est *externus*, quo ea, quae extra nos, alter *internus*, quo ea, quae intra nos sunt, aut fiunt, nobis repraesentamus; Spatium asserunt esse formam solius sensus externi, vi cujus illa, quae extra nos existunt, ut simultanea menti sistimus: Tempus autem vocant imprimis formam sensus interni, vi cujus illa, quae interne sentimus, ut successiva repraesentamus. Utriusque deinde repraesentationes appellant *Intuitus puros a priori*, item *determinationes rerum unice sensibilium*, *et harum etiam solum in tantum, in quantum a nobis sentiuntur*. *seu* (ut loqui amant) *phaenomena sunt;* hinc *transcendentalem idealitatem*, et *empiricam realitatem* ipsis attribuunt, atque his assertis ut totidem fundamentis *Idealismum* illum *formalem*, quem jam in Archologia refutavimus, superstruunt. *Vid. Krugs' Metaphysik p.* 40—58.

b)

Nostra de Spatio, et Tempore sententia.

Nos sensum naturalem (a quo nec philosopho recedere fas est, (*§. XI. Archol.*) secuti com-

muni notioni adhaerentes dicimus: — *Spatium* est ordo Entium simultaneorum, vel (si magis placet) simultaneitas Entium: *Tempus* vero est series Entium successivorum, vel successio Entium. — Cum vero Entia jam vel re ipsa simul sint, aut sibi succedant: vel possint tantum simul esse, aut sibi succedere: tam Spatium quam Tempus in *reale*, et *ideale* dividimus. *Spatium reale* est, quod ex simultaneitate Entium re ipsa coexistentium oritur, nihilque aliud est, quam determinatus modus, quo Entia re ipsa extra se posita sunt, unde etiam *plenum*, *materiale*, *objectivum physicum empiricum* vocatur: *Spatium* vero *ideale* est, quod sublatis Entibus extra nos coexistentibus superesse cogitatur, quodque nihil aliud est, quam possibilitas mera ponendorum extra se Entium; hinc etiam *vacuum*, *formale*, *subjectivum*, *possibile*, *logicum* appellatur, atque in *absolute*, et *relative* tale subdividitur; Spatium *vacuum absolute* est repraesentatio absentiae omnis coexistentiae realis Entium, seu talis, quae rebus quibusvis extra nos positis cogitando sublatis efformatur; unde *purum*, *abstractum*, *imaginarium*, et *transcendentale* quoque audit: Spatium vero *vacuum relative* tale est hiatus ille, qui inter Entia simultanea judicio sensuum intercedere videtur propter exiguam *densitatem massae* Entium (*corporum*), ideo etiam *apparens* dicitur. — Idem dici debet de *Tempore*, nempe:

Tempus reale est series Entium re ipsa sibi succedentium, seu modus determinatus realis successionis eventuum; unde etiam *plenum materiale*, *objectivum*, *empiricum*, *physicum* appellatur; Tempus *ideale* est, quod sublata successione reali eventuum super esse cogitatur, quodque solam possibilitatem successionis eventuum denotat; ideo etiam *vacuum formale*, *subje-*

ctivum, *possibile logicum* vocatur. Tempus *vacuum* subdividitur in *absolutum*, et *relativum*; Tempus *absolutum* alias *purum*, *abstractum*, *imaginarium*, *transcendentale* est repraesentatio absentiae omnis successionis eventuum: Tempus *relativum* alias *apparens* est, quod per repraesentationem absentiae successionis eventuum nobis incognitorum enascitur.

Propositiones.

1-ma. *Repraesentationes Spatii, et Temporis origine prima sunt empiricae.*

Quia a). Ut primum objecta quaepiam extra nos simul existere visu, aut tactu percipimus, aut a se magis minusque distare experimur, cogitamus adesse eorundem simultaneitatem, et sic oritur in anima repraesentatio *Spatii pleni*: cum vero objecta, quae prius alicubi erant, ibidem adesse amplius non observamus, uti cum exporrectae manui nihil resistit, ibi dicimus posse poni aliqua Entia, et per hoc suboritur in nobis repraesentatio *Spatii vacui relativi*; hac habita per arbitrariam abstractionem cogitamus deesse omnia objecta externae existentiae, et horum locum protinus occupat in anima repraesentatio *Spatii vacui absoluti*, quod qua in longum, latum, et profundum indefinite extensum, continuum, unicum, immobile, aeternum, universale, necessarium nobis imaginamur.—Igitur repraesentatio Spatii primo tunc oritur in anima, cùm objecta extra nos simul pósita in sensus agunt; est proinde origine prima empirica. Sed talis est et Temporis, nam

Repraesentatio prima *Temporis* ita oritur: observamus objecta quaepiam extra nos existentia ita esse comparata, ut ubi unum desinit, alterum incipiat existere, eventus quosdam ab aliis eventibus excipi, mutationi animae uni alteram continuo succedere; his observatis, necessario suboritur in anima repraesentatio *successionis*, per hanc vero repraesentatio *Temporis pleni*: cum vero successionem deesse cogitamus, aut experimur, in genere *Tempus vacuum* menti sistimus; quod in tantum abstrahendo, ut omnem prorsus successionem abesse cogitemus, et durationem quampiam motu lineari in immensum excurrentem fingamus, repraesentationem *Temporis absoluti* obtinemus. — Igitur etiam repraesentatio Temporis origine sua prima empirica est. *Cf. Archol. §. VII.*

2-da. *Spatium, et Tempus non sunt Entia singularem existentiam habentia.*

Illa enim dicuntur singularem existentiam habere, quae *per se subsistunt* (§. XI.): sed Spatium, et Tempus per se non subsistunt, nisi quaepiam simultanea, et successiva adsint, aut saltem adesse possint; igitur Spatium et Tempus ut relationes Entium sumultaneorum et successivorum debent spectari: sed relationes merae pro Entibus singulariter existentibus haberi non possunt; ergo verum est, quod asserimus.

3-tia. *Spatium, et Tempus non sunt merae formae subjectivae animae.*

1. Si Spatium, et Tempus nihil aliud essent, quam formae subjectivae, eaeque originariae ani-

mae, ita ut ipsa solum has super adderet objectis, quin ex parte objectorum ulla adsit ratio, cur illa in Spatio, et Tempore existere dicantur; deberent Spatium, et Tempus, quibusvis nostris intuitibus externis et internis ut formae adjungi: atqui hoc non fit; quam multa enim percipimus externe, et interne, quin de Spatio, et Tempore cogitemus, aut cogitare possimus; hinc est, quod calori, frigori, sapori, odori, sono non, extensioni, impenetrabilitati, colori extra et penes se existentiam, seu simultaneitatem tribuamus; hinc etiam est, quod solem telluri non, e contrario diem diei succedere, eventus quosdam non, alios ab aliis excipi pronunciemus. Igitur etsi admittamus, Spatium, et Tempus formas seu modos totidem esse, quibus anima objecta sensuum sibi repraesentat: quia tamen ratio, ob quam aliqua in Spatio, alia in Tempore, alia in Spatio simul et Tempore existentia nobis repraesentare possumus, ipsis quoque objectis perceptibilibus inesse debet; hinc Spatium et Tempus merae formae subjectivae animae esse nequeunt.

2. Quod per impressiones ab objectis in organa sensuum factas mutatur, et modificatur, mera subjectiva animae forma esse non potest: sed repraesentationes Spatii, et Temporis tales sunt; ponamus enim in tenebris unicum lucere punctum, in hoc casu nullum videtur Spatium, et si hac majorem lucem nunquam vidissemus, Spatium nunquam repraesentare potuissemus; ponamus in cubili per immissum radium solis unicam illuminari lineam, nec latitudinem nec soliditatem poterimus nobis repraesentare, nisi tactum adhibeamus; ponamus denique quempiam in cubili quopiam detineri lucido, ex quo ipsi prospectus non pateat, talis spatium ultra parietes cubilis non extendet, aut saltem infinitum

non cogitabit; hinc visum est ita incredibile antiquis dari *Antipodas*, cum tales illa aetate nemo viderit; hinc est illa admiratio puerorum valles altis montibus cinctas inhabitantium, in quam, homines trans montes commorantes serius conspiciendo, rapiuntur. Pari ratione loquendum est etiam de Tempore, cujus momenta pro diversitate successionum in nobis, vel extra nos perceptarum diversimode modificari, sicque etiam repraesentationem variari, et res ipsa, et experientia loquitur: ponamus jam, quod primo momento existentiae nostrae omnis successionis seu intra, seu extra nos perceptio cesset, repraesentationem Temporis nullam habebimus.

3. Quemadmodum ad hoc, ut speculum objecti cujusdam imaginem referat, necesse est radios lucis ab objecto in speculum incidere, et ab hoc refringi ita, ut et, ex parte speculi, et ex parte objecti ad efficiendam imaginem quidpiam adesse debeat; quod si objectum non adsit, aut speculo non rite applicetur, nulla, aut non sincera exhibebitur illius imago, licet speculum in se rite dispositum sit: ita etiam ad hoc, ut anima quidpiam ut in Spatio aut Tempore existens sibi repraesentet, praeter subjectivam possibilitatem, seu dispositiones animae ad ita, et non aliter repraesentandum a natura inditas, ipsi quoque objecto repraesentato inesse quidpiam debet, quod efficiat, ut istud in simultaneitate, aut successione percipiatur; secus (ut jam innuimus) nulla esset ratio, quare aliqua tantum in Spatio, alia tantum in Tempore, alia in Spatio simul, et Tempore existentia nobis repraesentemus; neque posset explicari, cur prima statim occasione, qua objecta simultanea aut successiva percipiuntur, non illico suboriantur in anima repraesentationes, seu intuitus illi puri Spatii et Temporis

absoluti, sed isti tardioris tantum abstractionis et phantasticae fictionis foetus sint; igitur Spatium, et Tempus merae subjectivae formae animae dici nequeunt.

4-ta. *Vacuum absolutum non datur.*

Tunc daretur Vacuum absolutum, si Spatium, aut Tempus nullis existentibus Entibus simultaneis, aut successivis re ipsa existerent: sed non existentibus Entibus simultaneis, aut successivis, nulla est simultaneitas, aut successio, nulla proinde harum quoque perceptio: sed ubi haec non adsunt, Spatium, et Tempus re ipsa non existunt, si autem ista non existunt, nec Vacuum datur. Quare Spatium et Tempus absolute vacua, seu pura sunt chimerae, entia imaginaria, nihilum, lususque phantasiae limites non noscentis: et quandocunque de Spatio aut Tempore vacuo loquimur, *vacua relativa* intelligimus, significantes, simultaneitatem, aut successionem Entium a nobis non animadverti, et capacitatem sensuum transcendere. *Vid. Wenzel Met. pag.* 92—93.

5-ta. *Spatium et Tempus reale vere existunt.*

Existunt Entia simultanea, et successiva, a nobisque ut talia vere percipiuntur; igitur existit ordo simultaneorum, et series successivorum: sed ordo simultaneorum, et series successivorum re ipsa existentium efficiunt Spatium, et Tempus reale; ergo Spatium, et Tempus reale vere existunt. — Quaerenti proinde, an Spatium, et Tempus sint substantiae, aut Accidentia? ita respondemus: Spatium, et Tempus *imaginarium*

purum nec substantia, nec accidens, sed nihilum, et chimerae sunt: Spatium, et Tempus *relative vacuum* itidem nec substantia, nec accidens, sed illusio perpetua sensuum nostrorum sunt: Spatium denique, et Tempus *reale* substantiae non sunt, quia per se non existunt (*Prop. 2-da*). Sed sunt accidentia, i. e. determinationes externae, seu relationis Entium, quarum ratio partim in anima repraesentante, partim, et praecipue in rebus extra repraesentationem simul aut successive positis continetur.

Corollarium.

a) Spatium, et Tempus reale infinitum repugnat; cum enim Spatium, et Tempus reale per positionem plurium simultaneorum, aut successivorum Entium constituatur, si infinita essent, existeret numerus simultaneorum, et successivorum infinitus: sed numerus actu infinitus repugnat (§. *XIV*. 1. *Prop. 2-da*); ergo etiam Spatium et Tempus reale infinitum repugnat. — Hinc

b) Ubicunque de Spatio, et Tempore infinito fit mentio, utrumque mere imaginarium intelligi debet; cum enim phantasiae humanae limites positi non sint, potest haec in infinitum evagari, atque ultra limites mundi, numerumque omnem eventuum re alium infinitum Spatium, et Tempus confingere: quamquam etiam in his consultius foret uti vocabulo *indefiniti*, quam *infiniti*.

c) Omne quod in Spatio, et Tempore existit, necessario est finitum; habet enim limites, ultra quos quoad existentiam, mutationesque suas, et successiones non porrigitur: quia vero finitum est mutabile, et contingens; omne quod in Spatio, et Tempore existit, debet una esse mutabile, et contin ens.

d) Ens infinitum in Spatio, et Tempore non existit: secus namque limitaretur, et sic finitum mutabile contingensque esset, quod fieri non posse jam super §. XIV. evicimus; — itaque tale Ens existere, quin ad limites spatii, aut temporis restrictum sit, jam vel ex hucusque dictis satis elucet: sed quomodo existat, comprehendere humanus intellectus nec potest, nec debet.

Scholion.

Etsi objecta experientiae, ne vane fingantur, sed re ipsa existant, alicubi, et aliquando, i. e. in certo Spatio et Tempore esse debeant: gravissime tamen errant, et illi, qui post *Crusium* illa tantum dicunt existere, quae alicubi, et aliquando sunt; et illi, qui post *Kantium* ea tantum a nobis cognosci posse asserunt, quibus forma Temporis, et per hanc *schematisatae* (ut ajunt) Categoriae applicari possunt. — Priores namque non modo illud Ens, quod semper et ubique existit, verum etiam logicas, et morales leges, imo ipsum Spatium, et Tempus reale definitione sua tollunt: posteriores vero limites cognitionis humanae in solis objectis experientiae quam injuste figant, jam satis diximus, et adhuc, ubi necesse fuerit, dicemus. —

II.

Notiones derivativae Spatii, et Temporis.

a)

Notiones derivativae Spatii.

E Notione Spatii intelliguntur notiones sequentes derivativae: *Figura*, *Locus*, *Situs*, *Di-*

stantia, *Motus*, *Quies*. — *Figura* est limes extensionis, estque vel *realis*, vel *idealis*; prior extensi realis (corporis) formam externam, posterior Geometriae objectum constituit, et jam *Punctum*, quod limes Lineae, jam *Linea*, quae limes superficiei, jam *Superficies*, quae limes *solidorum (corporum mathematicorum)* est, appellatur. — *Locus* est determinata pars spatii, quam objectum quodpiam occupat, estque vel *absolutus*, vel *relativus*; ille est, qui fixus concipitur absque respectu ad aliud Ens coexistens: iste vero est, quem Ens quodpiam occupat relate ad alia coexistentia. — *Situs* est modus, quo Ens in serie simultaneorum uni cuidam coëxistit. — *Distantia* est talis modus, quo Entia ita coëxistunt, ut inter illa quidpiam interponi possit. — Ens illud, quod ita existit, ut una ipsius pars uni, altera alteri parti spatii respondeat, dicitur *spatium explere*: quod vero ita existit, ut ipsi unicum punctum indivisibile spatii respondeat, *in spatio esse* enunciatur; unde illud de Ente composito, quod partes habet extra partes, hoc de Ente simplici, quod partibus destituitur, valet: quamquam hoc posterius multi ad Entia simplicia *materialia seu Elementa prima corporum* restringant ita, ut de Entibus simplicibus *immaterialibus*, quales sunt *spiritus*, ament potius dicere *agere* illa *in spatio*, quam *esse*, vel *existere in Spatio*; quod in *Metaphysica applicata* exponemus. — Illa, quae simul in uno eodemque loco existunt, dicuntur *compenetratio*: quod vero eodem tempore in pluribus locis existit, *replicari* dicitur; hinc *Compenetrari* est plurium Entium in eodem loco simultanea existentia: *Replicatio* vero est unius Entis in pluribus locis simultanea existentia. — *Motus* est mutatio

loci:

loci: perseverantia autem in eodem loco *Quies* vocatur.

Quae sint species Motus, utrum existat, et juxta quas leges fiat, item qualis detur in Entibus Quies? cum aliis quaestionibus affinibus in *Somatologia generali* dicemus; hic enim solum notiones spatii derivativas exponere debuimus.

Quod *Compenetrationem*, et *Replicationem* attinet, de quibus Scholastici subtiliter magis, quam utiliter multa disputabant, paucis animadvertimus: a) Tam compenetratio, quam Replicatio *absolute* est possibilis. — *Possibilis est Compenetratio:* nam etsi demonstrari posset, quod substantiae, ex quibus composita coalescunt, seu sic dicta Elementa essentia sua sint *impenetrabilia*, i. e. se mutuo ex loco, quem singula occupant, excludant (quod effici vix potest), inde minime sequitur impenetrabilitas ipsorum compositorum; ita quippe concipitur compenetratio, ut elementa unius compositi sint in minimis distantiis elementorum alterius compositi, sicque duo composita in uno loco existant, quin ipsorum elementa compenetrentur. *Possibilis est etiam Replicatio;* quia Ens replicatum unum idemque manet, neque *esse hic et alibi simul*, vere contradicit, sed *esse hic et simul non esse:* quod ad Replicationem non requirunt. b) Tam Compenatratio, quam Replicatio *physice* est impossibilis; eadem enim constans, infallibilisque experientia, qua teste scimus, quod Ens quodvis existens alterum ex loco, quem occupat, excludat, simul docet, idem Ens, quod in quopiam determinato loco existit, in alio eodem tempore existere non posse. —Igitur licet ratione naturali perspici nequeat seu Compenetrationis, seu Replicationis possibilitas; ideo tamen neutrius est inferenda absoluta impossibilitas: alio-

quin *incomprehensibile* non est *absolute impossibile* (§. III.) et quod vi finita non, Vi infinita fieri potest (§. XIV.); imprimis si fines naturalibus altiores id exigant, prout dicemus in *Cosmologia. Cf. Metaphysicas Storchenau*, *Burkhäuser*, *Walser*, *Sels etc.* —

Scholion.

Kantius in suo *Metaph. Anfangsgr. d. Narturwissenschaft p.* 5. rejecta communi illa definitione, qua *Motus* statuitur esse *mutatio loci*, tamquam *angusta*, istam substituit: *Motus est mutatio relationum externarum materiae ad datum spatium empiricum.* Ast ipse Kantius fatetur definitione sua *motum internum* materiae non includi; per hunc enim relationes externae materiae ad spatium empiricum non mutantur: communis autem illa definitio motus, etiam internum motum partium materiae comprehendit; cum enim, *e. g. cerevisia in dolio quiescente semet movet*, *mutat re ipsa suum locum intra dolium*, *licet dolium ipsum*, *cujus locus a loco cerevisiae diversus est*, *suum locum retineat*: *e contrario non mutat suas relationes externas*, *quia non obstante suo motu manet tamen intra dolium.* Illa proinde communis definitio motus est adaequata, Kantiana vero est angusta, et illi tantum ut species subordinanda. *Vid. Krugs Metaphysik pag.* 214—217. — *Walser Inst. Metaphy. p.* 74 — 75.

b)

Notiones derivativae Temporis.

Duratio, *Initium*, *Finis*, *Momentum*, *Aeternitas*, *Aetas* sunt praecipuae notiones deriva-

tivae Temporis. — *Duratio* est continuatio existentiae Entis, vel (ut aliis placet) est determinata pars Temporis, quam Ens occupat; proprie substantiae tantum durant, accidentia autem variant; *e. g. cogitationes hominis variant, anima vero eadem durat.* — *Initium* est mutatio non existentis in existens, transitus futuri in praesens. — *Finis* est mutatio existentis in non existens, transitus praesentis in praeteritum. — *Momentum* est limes quantitatis Temporis, *quantitas* vero *Temporis* efficitur per numerum successionum; unde ubi plures, pauciores, aut nullae sunt successiones, ibi majus minus, vel nullum est Tempus; et cum Tempus unicam habeat dimensionem *in longum*, possitque repraesentari per *lineam*, in qua *praeteritum*, *praesens*, et *futurum* ut partes distinguuntur, ideo motus aequabilis *e.g. telluris circa suum axem, et in sua orbita, item motus umbrae, indicis etc.* pro ejus mensura adhibentur. — *Aeternitas* est duratio sine initio, et fine, duratio finita et utrinque terminis conclusa *Aetas* audit. Tempus longius *Aevum* dicitur, quod in *Periodos* distribuitur, et per *Epochas* limitatur; hinc eventus quispiam in Historiis celebrior, qui pro limite aliorum assumitur, et Periodum a Periodo secernit, dicitur *constituere Epocham.* — Denique talis duratio, quae initium quidem, sed finem non habet, *Sempiternitas* appellatur, atque ab Aeternitate in eo differt, quod haec non, illa vero involvat successionem; *sic attribuimus Deo durationem aeternam, animae vero humanae sempiternam.*

Propositiones.

1ma. Duratio in se spectata non involvit Tempus.

Durare idem est ac existentiam continuare: sed potest substantia existentiam continuare, quin seu in ipsa, seu extra ipsam fiant successiones; hae enim sunt substantiae contingentes; igitur potest substantia durare sine successionibus: jam vero ubi non sunt successiones, ibi non est Tempus; igitur duratio in se spectata non involvit Tempus. —Unde ubi Duratio est, non est semper Tempus; sed ubi est Tempus ibi debet esse Duratio.

2da. Substantiae finitae Duratio nequit esse aeterna.

a) Duratio aeterna est infinita; excludit enim omne initium, et finem: sed quod infinitum est finito competere non potest. b) Substantia finita, qua una contingens (§. XIV.) actione alterius debet determinari ad existendum: sed quod tale est, aliquid sibi in existendo antecedens praerequirit, cujus actione e statu possibilitatis transponatur in statum existentiae: quod vero e possibili fit existens, habet initium existendi: quod initium existendi habet, aliquando non exstitit, denique quod aliquando non exstitit, aeternum non est.

3ia. Substantiae infinitae Duratio necessario est aeterna.

Nam Substantia infinita nec initium nec finem existendi habet; si enim initium existendi haberet,

aliquando non exstitisset; etsi finem existendi haberet, aliquando non existeret: sed aliquando non exstitisse, aut non existere notioni substantiae infinitae repugnat (§. *XIV.* 2. *Prop.* 2*da*); quod autem nec initium nec finem existendi habet, illius duratio necessario est aeterna.

4ta. Substantia infinita rationem sufficientem suae Durationis habet in se.

Substantia enim infinita absoluta necessitate existit (§. *XIV.* 2 *Prop.* 2*da*); ergo rationem sufficientem suae Durationis in se debet habere; cum enim Duratio sit continuata existentia; sicut in existendo, ita in durando quoque debet substantia infinita ab omni alio idependens esse, secus namque realissima non esset, sed quod in durando ab omni alio independens est, illud rationem sufficientem Durationis suae in se habere debet.

5ta. Substantia finita rationem sufficientem suae Durationis habet in substantia infinita.

Cum nihil sit sine ratione sufficiente, si substantia finita durat, Durationis suae rationem sufficientem habere debet; habebit igitur vel in se, vel in alia substantia finita, vel in infinita: sed nec in se, nec in alia substantia finita potest habere; ergo in substantia infinita habeat, est necesse. *Non in se*; nam

Si substantia finita durans rationem sufficientem suae Durationis haberet in se, haberet illam vel in essentialibus constitutivis, aut consecutivis, vel in existentia praecedente, vel in vi quapiam peculiari ad Durationem efficiendam ordinata, sed

nihil horum dici potest. *Non primum*; essentialia enim constitutiva cum ab Ente abesse nunquam possint, et consecutivorum rationem sufficientem in se contineant, si continerent rationem sufficientem Durationis alicujus substantiae finitae, haec duraret necessario: sed necessario durare substantiae infinitae est proprium (*Prop. 3tia*). *Non secundum*; licet enim certum sit substantiam finitam necessario existere, dum existit, quatenus existere et una non existere nequit, nulla tamen est ratio sufficiens in momento primo existentiae pro momentis subsequentibus; secus enim, quia posita ratione sufficiente ponitur rationatum, momentis subsequentibus substantia finita necessario existeret: sed hoc pugnat cum notione Entis contingentis, quale est existentia substantiae finitae etiam momentis subsequentibus. — *Non tertium*: nam si vis aliqua peculiaris contineret rationem sufficientem Durationis substantiae finitae, vis haec primo momento existentiae deberet producere existentiam omnium aliarum virium, et proprietatum in substantia illa finita contentarum pro momento secundo, adeoque etiam suam existentiam, esset quippe et ipsa vis illius substantiae: sed si vis illa peculiaris existentiam suam pro momento secundo jam momento primo produceret, tunc existentia pro momento secundo esset existentia in momento primo; ubi autem existentia pro momento secundo eadem est cum existentia in momento primo, ibi non est ratio sufficiens existentiae continuatae, proinde nec Durationis. — Igitur substantia finita rationem sufficientem suae Durationis in se habere non potest. *Sed nec in alia substantia finita.*

Substantia enim finita aliam ex nihilo producere, seu creare non potest (§. *XIV*. 2. *Prop. 7-ma.*); igitur quaelibet substantia finita ab alia

finita quoad existentiam est independens: si autem est independens, potest existere sine alia, et si potest existere, potest etiam durare; Duratio enim est existentiae continuatio, ergo potest substantia finita durare, quin ab alia aeque finita necessario determinetur ad durandum: quod si ita est, ratio sufficiens, cur aliqua substantia finita duret, in alia substantia finita non continetur; ergo cum substantia finita rationem sufficientem suae Durationis nec in se, nec in alia substantia finita habeat, in substantia infinita habere debet; proinde quaecunque existunt substantiae finitae, illae sicut existentiae suae primae, ita et continuatae existentiae, seu Durationis rationem sufficientem in substantia infinita habent.

Scholion.

Cum Theoriam Spatii, et Temporis explicarem, difficultates, quae eidem opponi possent, consulto praeterivi: non quasi his solvendis imparem me sensissem; sed partim ideo, quia tirones talibus subtilitatibus amplius onerare nolui, partim ideo, quia notiones per me datas intelligenti perspicuum fore judicavi, partes litigantes in pluribus non tam re, quam verbis a se dissidere. — Interim si cui ad ampliora animus est, conferat Metaphysicas *Walser*, *Wenzel*, *Krug*, *Gerlach etc.* item opera *Miotti*, *Zallinger*, *Berg*, *Feder etc.*

§. XVII.

Causae, et Effectus.

I.

Causae, et Effectus, aliaeque affines Notiones, et harum Origo.

Ratio universim id omne vocatur, ex quo alterum quocunque modo esse intelligitur; istud

ptici imprimis nostros de Causis, et effectibus conceptus, hisque superstructas veritates perturbare et convellere conati sunt; deinde ex male intellecta, aut ignorata doctrina de Causalitate errores perniciosissimi pullulare solent, uti: *superstitio*, quas res quaepiam pro Causa alterius sumitur, qualis tamen non est; et *incredulitas*, qua quod Dei est, *coeco casui*, aut *fato* adscribitur; denique ex hac doctrina praecipue innotescet, an mens humana in cognoscendo ad mundum tantum *sensibilem* (experientiam) restricta sit, aut etiam mundum *intelligibilem* (res in se, et sensibus inaccessas) attingere possit? — Cum vero vel ipsa *prima origo* notionum ad Nexum causalem pertinentium contra vertatur; ordiamur ab hujus expositione.

Primus, qui notionem Causae acquiri per experientiam posse negavit, *Humius* erat eo, quod experiamur quidem uno posito sequi alterum, non experiamur item hoc alterum *ex illo priore* sequi. Causalitas, inquit Humius, et post eum *Kantius*, sub sensus, et experientiam non cadit. Quamobrem Humius ad naturalem hominum inclinationem itaque judicandi consvetudinem recurrit: Kantius vero, notionem Causae Categoriis relationis annumerans, asserit esse puram a priori, solumque ad objecta sensuum applicabilem, atque hoc posito gloriatur, se Scepticismo Humii occurisse (*Vid. Hist. Metaph.*). — Hic *originem* solum Notionum Causae, Causalitatis, Nexusque Causalis vindicamus, *usum* earundem deinde determinaturi.

P r o p o s i t i o.

Notiones Causae, Causalitatis, et Nexus Causalis origine prima sunt empiricae.

a) Ad ea, quae intra nos contingunt, attendendo experimur continuo multa vi interna animae fieri, quae prius non erant; quod cogitatio cogitationem, volitio volitionem excipiat; saepe plus, alias minus inhaeremus considerationi objecti; ab his, quae prius nobis repraesentavimus, repente transferimus attentionem ad alia; quaedam appetimus, alia aversamur; illa volumus, ista nolumus etc. his observatis, animam appellamus *Causam*, producta ejus activitatis, uti repraesentationes, cogitationes, appetitiones, aversationes, volitiones, nolitiones vocamus *Effectus*, nexum, qui inter animam, et ejus producta intercedit, *Nexum causalem*, animam *Causalitatem* exserere, operationes denique ejusdem ab ipsa *dependere* dicimus. b) Itidem experientia interna scimus multa in nobis produci ab objectis externis ita, ut his absentibus non producerentur; objecta igitur externa respectu mutationum illarum, quas in nobis efficiunt, appellamus *Causas*, mutationes vero illas dicimus *Effectus*. c) Experientia externa constat, corpora extra nos posita ita esse constituta, ut actione unius non tantum mutetur status alterius, sed alterum ab altero producatur, aut destruatur; ita globus movet globum, magnes attrahit ferrum, ignis corpora pleraque corripit, penitus dissolvit, in cineres, vitrum, aut calcem redigit; corpora animalium scindi, perfodi, distrahi in partes, corrumpi, penitusque dissolvi possunt actione corporum, aut corpusculo-

rum alienorum. Interrogetur physicus, enarrabit a quibus causis sanitas, integritasque corporis, et commoditas vitae dependeat; interrogetur medicus, dicet, quae sint Causae morborum, curationisque horum; interrogetur politicus, fuse describet Causas originis, status florentis, ruinaeque familiarum, civitatum, monarchiarum: quae omnia experientia docemur ita, sicut pressiones causasque corporum. — Igitur notiones Causae, Causalitatis etc. origine prima sunt empiricae.

Solutio Objectionum.

1. Experientia docente non tantum scimus quaedam sibi succedere, v. g. serenitatem pluviae, calorem frigori, diem nocti; quod alioquin, ut diximus ad Causalitatem satis non est: sed et hoc saepe scimus vi unius Entis in altero quidpiam effici. Quis enim ita plumbeus est, ut non pluvia, se madefactum dicat; sed post lapsas pluvias; non ob vim pulveris pyrii, globorumque hac excussorum prostratos exercitus asserat, sed post pulverem succensum; non ob admotas faces, aut illapsum fulmen domus conflagrasse putet, sed post eum eventum; non ob amputatum caput, sed post illud sanguinem animamque profluxisse, et corpus concidisse exanime? etc. Ex his igitur, similibusque datis experientiae accipit primam materiam intellectus pro efformandis notionibus Causae, Causalitatis etc.

2. Ideo, quod notioni Causae, Effectus, Causalitatis *necessitas*, et *universalitas* adhaereat, minime sequitur illas puras, a priorique esse. Nam a) nisi universalitas, et necessitas dictarum notionum ex experientia huicque innixa ratione comprobetur, merito negari potest; qui enim notionem Causae, ut Categoriam ad objecta tantum sensuum applicabilem asserunt, universalita-

tem, et necessitatem *absolutam*, qualis e. g. notionibus demonstrationibusque mathematicis inest, intelligere non possunt, sed debent intelligere universalitatem, et necessitatem *physicam*, quae certe ex experientia ope Inductionis, et Analogiae colligitur; *sic e. g. igne lignum aduri, immediate scio ex experientia; hoc universim, et necessario fieri ita, ut ignis debeat dici causa adusti ligni, itidem ex experientia, sed jam mediate per rationem colligo, quatenus explorata per experientiam natura ignis et ligni cognosco stante hac natura oppositum fieri non posse, licet absolute fieri possit.* Verum de his uberius loquemur in *Cosmologia.* b) Notioni Causae necessario quidem includitur notio Effectus, quatenus res, quae ut Causa concipitur, debet habere Effectum; attamen Causa non ponit Effectum necessarium, aliud namque est necessario habere Effectum, aliud necessarium habere Effectum; quae duo videntur confundere Kantiani.

Corollarium.

Ex his perspicuum fit: a) Rationem esse conceptum latiorem, quam sit Causa; illa enim omne id, ex quo alterum quoquo modo esse intelligitur, haec vero solum id, quod existentiae alterius rationem continet, significat: b) a Causa proprie tali debere distingui sic dictas *Circumstantias inefficaces*, quae rationem activitatis Causae, et existentiae Effectus immediate non continent quidem, possent tamen activitatem Causae, et sic etiam existentiam Effectus impedire; *e. g. ut sol cubile illuminet, cubile fenestras habere debet; fenestrae sunt quidem per se Circumstantiae inefficaces, sunt tamen conditiones necessariae ad illuminandum cubile*: c) non modo illa, quae fortuito, sed nec illa omnia, quae necessario praecedunt alia, pro horum veris Causis

habenda esse, licet a superstitiosis, et ignorantibus subinde pro talibus habeantur. Necesse proinde est, ut Causa experientiis certis fulciatur, nec causa reputetur quidquid antecedit, praecipue si natura rei parum adhuc sit perspecta, et mira phaenomena habeat, *qualia sunt Magnetismi mineralis, et animalis.*

II.

Divisio Causarum.

Causae dividuntur in *primarias*, *secundarias*, *cooperantes*, *sufficientes*, et *insufficientes*, *decisivas*, *physicas*, et *morales*, *logicasque.*

Causae *primariae* alias *principales* sunt, quae ad producendum Effectum plurimum conferunt, *e. g. Auctor est Causa principalis libri.* — Ad has causas pertinent:

a) *Causa efficiens*, quae sola vi propria producit Effectum; unde nexus, qui inter ipsam, et Effectum intercedit, *dynamicus*, vel *effectivus* vocatur; *e. g. ignis suppositus tecto est Causa efficiens incendii.* — Causa efficiens si talis sit, ut potuerit etiam non producere Effectum, *libera*, secus *necessaria* audit; *e. g. homo quarumdam suarum actionum est Causa libera*; *venenum occisi hominis Causa necessaria.*

b) *Causa materialis;* quae est materia, ex qua aliquid producitur; *e. g. marmor est Causa materialis statuae*; dicitur vero materia Causa ideo, quia patiendo concurrit ad aliquid efficiendum.

c) *Causa formalis*; per quam determinationes efficientes ut res quaepiam ad certam classem Entium referri possit, intelligitur; *e.g. figura marmori inducta est Causa formalis statuae.*

d) *Causa finalis;* quae est *scopus*, aut *finis*, cujus repraesentatio Causam efficientem ad producendum Effectum movet, unde etiam *Causa movens*, *excitans exstimulans* appellatur; *e. g. captura ferarum est causa finalis venationis.* — In tantum igitur est Finis Causa, in quantum praevie repraesentatus Causam efficientem ad agendum determinat: in quantum vero re ipsa obtinetur, est Effectus: et sic sub diverso respectu prior, et posterior, Causa, et Effectus. Volitio Finis *Intentio*, ratio ad volendum Finem stimulans *Motivum*, id per quod Finis obtinetur *Medium*, Medium quatenus ad impedimentum removendum dirigitur, *Remedium*, nexus denique, qui inter Fines, et Media intercedit, *finalis*, vel *teleologicus* vocatur.

Fines sunt varii: 1-mo *proximi*, vel *remoti.* Finis *proximus* est, qui immediate intenditur, *remotus* est, qui mediante alio intenditur; *e. g. Finis proximus Literarum studiosi est*, *ut bene classificetur*, *remotus*, *ut per scientias felix evadat.* 2do *Coordinati*, vel *subordinati;* illi sunt, quorum alter ab altero non pendet: hi vero sunt, quorum alter ab altero pendet; e Finibus subordinatis ille, ultra quam nihil intenditur, *ultimus*, reliqui *intermedii* appellantur. — Ultimus iterum vel est *absolute*, vel *relative* talis, prout vel alicujus tantum, vel omnium saltem ad certam classem pertinentium Causarum Finis ultimus existit, *e. g. Studiosi Fi-*

nes coordinati sunt cognitiones diversi generis; *subordinati bona classificatio*, *solatium parentum*, *felicitas propria*; *hominis Fines intermedii sunt eruditio*, *honor*, *opulentia*, *relative ultimus moralitas*, *absolute ultimus moralitas*, *et huic proportionata felicitas.* 3tio *Principales* vel *secundarii.* Finis *principalis* est, propter quem solum ponitur actio: *secundarius* est, propter quem solum non ageretur, nisi alius quoque Finis praefixus esset; *e. g. Finis principalis itineris potest esse visitatio amici*, *secundarius commotio corporis.*

Medium vel est *necessarium* vel *contingens*; illud est, sine quo Finis absolute non potest obtineri: istud vero est, quod confert quidem ad Finem, sed etsi desit, potest Finis obtineri; e. g. *Studioso media necessaria sunt ingenium*, *victus*, *amictus*, *diligentia: correpetitio vero est medium contingens*, *alias utile.*

e) *Causa exemplaris*; quae est id, quod Causa efficiens dum agit, intuetur, ut opus simile efficiat; dirigit proinde Causam efficientem; unde *Exemplar* vel *Prototypon*, causatum vero ejus, seu id, quod secundum Exemplar fit, *Ectypon* vel *Copia* vocatur, nexus demum, intercedens inter hoc et illud est *exemplaris*; *e. g. Deus est Exemplar hominis*, *quatenus actionibus suis eidem semet ut Enti sanctissimo conformare debet: homo vero probus est Ectypon Dei*, *quatenus sic ei*, *ad cujus imaginem creatus est*, *similem se reddit.*

Causae secundariae sunt, quae minus, quam primariae conferunt ad producendum Effe-

mortis. — Inter Causas subordinatas illa, quae immediate producit Effectum, *proxima*, illa quae mediantibus aliis Effectum consequitur, *remota*, inter hanc, et illam intercedentes, Causae *intermediae* vocantur: illa vero Causa, quae a nulla, sed a qua omnes ceterae pendent, *prima* alias *ultima* et quidem *absolute*, vel *relative* talis appellatur; *e. g. Causa proxima prolis sunt parentes*, *intermediae avi*, *remotae abavi*, *relativae ultimae protoparentes*, *absolute ultima Deus Causa Universi.*

Subordinatio Causarum alia est *essentialis*, seu *necessaria*, alia *contingens* seu *accidentalis.* Causae *necessario subordinatae* sunt, quarum prima subsequentem non solum ad existendum, sed etiam ad agendum determinat: *contingenter subordinatae* sunt, quarum prima tantum ad existendum, non etiam ad agendum determinat alteram. — De Causis necessario subordinatis, non vero contingenter subordinatis valet illud „*Qui est Causa Causae, est etiam Causa Causati*; unde non recte ita quis argueret: *peccatum est Causa interitus, homo est Causa peccati, hominis Causa est Deus; ergo Deus est Causa interitus hominis:* rite e contrario concluderet sic: *parentes sunt Causa pravae educationis, prava educatio est Causa vitae sceleratae prolis, vita scelerata est Causa exitii; igitur parentes sunt Causa exitii prolis;* in priori enim exemplo subordinatio Causarum est solum contingens, in posteriori necessaria.

Causae sufficientes sunt, quae Effectus rationem sufficientem in se continent: *Rationem*

vero *sufficientem* illam esse, ex qua omnia in rationato occurrentia plene intelliguntur, secus *insufficientem* dici debere, jam alias saepius memoravimus; hinc si Causae non habeant sufficientem rationem Effectus, seu Effectum producere non valent, *insufficientes* vocantur; *e. g. Deus est Causa sufficiens Universi; ingenium bonum in Cajo est Causa insufficiens eruditionis.*

Causae *decisivae* sunt, quae certum Effectum inevitabiliter ponunt: secus sunt *indecisivae; e. g. pulsus campanae est causa decisiva soni: offensio ad lapidem est causa indecisiva fracturae pedis.*

Causae phisicae sunt, quae viribus propriis proprioque motu quidpiam efficiunt; ad has pertinent etiam Causae *mechanicae*, seu illae, quae in corporibus diversos motus, diversaquae phaenomena producunt; *e. g. Cajus sua sponte, quin ab alio stimularetur, ignem domui supponens est Causa physica incendii: materia electrica est Causa mechanica fulguris.* — Quamquam alii solas Causas mechanicas nominent physicas.

Causae morales sunt, quae viribus propriis non, sed alienis agunt, sicque cum illis, quarum opera ad producendum Effectum utuntur, *sociae* evadunt, atque *cooperari*, vel *concurrere* dicuntur modis noto hoc carmine expressis: *Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus, Participans, Mutus, Nonobstans, Nonmanifestans.* — Aliis vero *Causae morales* sunt repraesentationes voluntatem determinantes.

Causas denique *logicas* vocant leges cogitandi.

Propositiones.

1-ma. *Nihil est sine ratione sufficiente.*

Si enim quidpiam sine ratione sufficiente foret, esset vel in *cogitando*, vel in *cognoscendo*, vel in *volendo*, vel denique *in existendo:* sed nihil horum dici potest. *Non primum;* nam

Ut quidpiam cogitari possit, et re ipsa cogitetur, debet adesse aliquid, ex quo plene intelligatur, cur sit cogitabile, et quare sic, non autem aliter cogitetur; secus enim et esset cogitabile, et non esset, et sic et aliter posset cogitari, quod adversatur Principio contradictionis; sed ex quo quidpiam plene intelligitur, hoc dicitur ratio sufficiens; ergo in cogitando nihil est sine ratione sufficiente.

Non secundum; quia ut aliquid cognosci possit, aut actu cognoscatur, secundum archologica principia debet esse quidpiam, quod cognitionem possibilem reddat, et aliud, ex quo intelligatur, quare sic et non aliter cognoscatur; secus enim cognitio impossibilis foret: sed id, ex quo intelligitur, cur aliquid sit cognoscibile, item quare ita et non aliter cognoscatur, est ratio sufficiens cognoscendi; ergo in cognoscendo nihil est sine ratione sufficiente. *Non tertium;*

Probabimus enim in Anthropologia voluntatem nostram ita esse comparatam, ut nunquam se ad agendum determinet, nisi ex praeviis repraesentationibus intellectus, juxta illud antiquum „*nihil volitum, nisi praecognitum*,“ seu deinde repraesentationum harum materiam ab extrinsecus, seu ex se sumat anima, juxta illud „*stat pro ratione voluntas*,“ quidcunque proinde ve-

limus, semper adest aliquid, cur velimus, cur sic et non aliter velimus: sed istud aliquid est ratio sufficiens voluntatis; ergo in volendo nihil est sine ratione sufficiente. *Non denique quartum;* quia.

Quidquid existit, vel est necessarium, vel contingens, vel substantia, vel accidens; sed omnia haec habent rationem sufficientem suae existentiae; nempe Ens necessarium in se ipso, contingens in Ente necessario, Substantia, si sit infinita itidem in se ipsa, si finita in substantia infinita, Accidentia vero substantiis inhaerent, et ut talia partim e propriis substantiis, partim ex harum ad alias relatione intelliguntur (quae omnia praecedentibus paragraphis singillatim evicimus); ergo omnis existentia habet id, ex quo plene intelligitur: sed hoc est ratio sufficiens; igitur neque in existendo est quidquam sine ratione sufficiente. — Nihil igitur est universim sine ratione sufficiente. — Veritas haec est *Principium Rationis sufficientis;* cujus

Principii per se evidentis, ideoque non tam demonstrationis, quam expositionis indigi veritatem non magis palam facit, atque insita illa, et animis omnium a natura ingenita opinio, qua quilibet vel tenuem usum rationis faciens, nihil fieri absque ratione, et quidem sufficiente universim existimat, nec facile quidquam sine ratione sufficiente admittit. Hinc illa quaerendi vel in pueris consvetudo, cur, unde, a quo hoc illudque sit? Hinc illa admiratio, si quid eveniat, cujus ratio non elucet; hinc denique illa indignatio, qua afficimur, si aliquid sine ratione egisse dicamur. — Senserunt vocem hanc Naturae omnis aevi philosophi, nisi forte Epicurum excipiam, sensit jam Euclides, sensit Plato, Aristoteles, Cicero, senserunt Scholastici unanimiter, senserunt Leibni

tiano Wolfiani, sentiunt denique recentissimi Critici, ut opera eorum legenti patebit, ita, ut Veritas Principii Rationis sufficientis universim fuerit agnita, et significatio tantum, ususque ejusdem variis varii fuerint. Nemo igitur offendatur, quod et nos Principio ita patulo, tamque universalis valoris jam et hic, et in Logica, quin ejus veritatem demonstraremus, frequenter usi fuerimus.

2-da. *Posita Ratione sufficiente ponitur Rationatum; et vice versa.*

Nam a) Rationatum est id, quod ex altero, ceu Ratione cognoscitur, et ab hac necessario dependet: sed Ratio sine Rationato Ratio non esset, et si Rationatum praesente Ratione non poneretur, haec sufficiens non foret; ergo posita ratione sufficiente rationatum poni debet.

b) Si posito Rationato non poneretur Ratio sufficiens, esset quidpiam sine Ratione sufficiente: sed sine Ratione sufficiente nihil esse potest (*Prop. 1-ma*); igitur posito Rationato debet poni Ratio sufficiens.

3-*tia. Ubi nulla est Ratio sufficiens, ibi nullum est Rationatum; et ubi nullum est Rationatum, ibi nulla ratio sufficiens.*

Quia a) Rationatum ponitur per Rationem sufficientem; est itaque Ratio principium ponens Rationati: sed ubi ponens nullum est, ibi positum esse nihil potest; ergo ubi nulla est Ratio sufficiens, ibi nullum est Rationatum. — Et hoc semper verum est, seu una sit *determinata* Ratio sufficiens Rationati, seu plures *indeter-*

minatae; sicut enim si illa una non adsit, non est Rationatum: ita si ex pluribus nulla adsit, non ponitur Rationatum; *e. g. quemadmodum non posito scriba non ponitur scriptura: ita non posita aliqua e pluribus Rationibus sufficientibus mortis, non ponitur mors.*

b) Si non posito Rationato adesset aliqua Ratio sufficiens, haec et esset sufficiens, prout supponitur, et non esset, quia posita Ratione sufficiente ponitur Rationatum (*Prop. 2-da*): sed hoc est absurdum; ergo ubi nullum est Rationatum, ibi nulla est ratio sufficiens.

4-*ta. Nihil fit sine Causa efficiente.*

Quod fit, oritur, seu producitur, quod oritur, mutatur; transit enim e statu possibilitatis ad statum existentiae, quod sic mutatur, contingenter existit, quod contingenter existit, aliquando non exstitit, quod aliquando non exstitit, ad existendum poni debuit; ergo omne quod fit, aliquid se ponens praerequirit: sed quod alterum ponit, seu rationem sufficientem existentiae alienae continet, est Causa efficiens; igitur nihil fit sine Causa efficiente. — Quod adeo verum est, ut mens humana Causas potius fingat, quam nullas ejusmodi rebus subesse judicet, aut eas inquirendi, cognoscendique studio penitus renunciet.

5-ta. *Nullum Ens potest esse Causa efficiens sui ipsius, neque duo Entia sibi mutuo.*

a) Si Ens quodpiam sui ipsius Causa efficiens foret, i. e. se ipsum produceret, existeret simul, et non existeret; *existeret*, quia se producendo

ageret, quod vero non existit agere non potest: *et simul non existeret*, quia se ipsum primo produceret: sed existere, et una non existere repugnat; ergo nullum Ens potest esse Causa efficiens sui ipsius.

b) Si duo Entia mutuo essent sui Causa efficiens, unum altero deberet esse prius, et simul posterius; *prius*, quia alterum produceret; *posterius*, quia vicissim ab hoc altero produceretur: sed unum idemque prius, et posterius esse repugnat; ergo neque duo Entia mutuo possunt esse sui Causa efficiens.

6-ta. *Nihil quod Causam efficientem habet, potest esse aeternum.*

Aeternum enim esse idem est, ac nec initium nec finem existendi habere: sed quod Causam efficientem habet, id initium existendi debet habere, antequam enim per Causam efficientem produceretur, non exstitit.

7-ma. *Posita Causa, ut Causa, etiam Effectus poni debet; et Effectus ut Effectus sine Causa poni non potest*

a) Tunc ponitur Causa, ut Causa, cum remoto omni impedimento Effectum suum producit: jam vero omnis Causa ut talis debet habere suum Effectum; secus namque et esset Causa, et non esset; ergo posita Causa, ut Causa, seu, quod idem est, Causa *formaliter spectata*, Effectum poni necesse est.

b) Effectus est id, quod per Causam ponitur: sed aliquid poni sine ponente nequit; ergo Effectus, qua Effectus sine Causa poni non potest. Et hoc sensu etiam *sublata Causa* verum est *tolli Effectum;* intelligitur enim Causa *sufficiens*, i. e. talis, quae Rationem sufficientem existentiae Effectus continet; hinc sicut sublata Ratione sufficiente tollitur Rationatum: ita sublata Causa tollitur Causatum, seu Effectus; ac proinde hoc respectu Causa, et Effectus sunt Entia simultanea. — Aliud est, si Causa non ut Causa, et Effectus non ut Effectus, seu *formaliter* non, verum *materialiter* considerentur; sic enim Causam prius existere posse Effectu neque illa posita, aut sublata hunc quoque poni, aut tolli hoc ipso, per se intelligitur; *e. g. Parens ut parens sobolem habere debet, et proles ut proles sine parente esse non potest: ast parens, qua non parens sine prole, et proles qua non proles sine parente esse possunt, priusque sic existit parens, quam existat proles.* — Veritas haec appellatur *Principium Causalitatis*, quo ab existentia Causae ad existentiam Effectus, et ab existentia Effectus ad existentiam Causae concluditur.

8-va. *Iidem Effectus easdem supponunt Causas.*

Vi Principii Causalitatis ab existentia Effectus rite concluditur ad existentiam Causae; igitur si Effectus quipiam ejusdem qualitatis adesse observentur, etiam Causae ejusdem qualitatis supponi debent: sed Causae ejusdem qualitatis vocantur eaedem; ergo iidem Effectus easdem sup-

ponunt Causas. — Veritas haec est *Principium Causarum analogarum*, quod de Causis, qua Causis, seu proprietalibus proximis, et vi interna ageutibus debet intelligi; quod enim Causae remotae et non proprie tales etiam eorundem Effectum diversae esse possint, experientia constat; *ita e. g. potest quis ex gula alter ex intensis laboribus, tertius ex moerore animi morbidus esse, et sic si Causae sensu vulgari sumantur, et remotae intelligantur, unius ejusdemque morbi diversae Causae erunt: ast si sumatur Causa stricta (metaphysica) et proxima, talis una eademque est, debilitatio nempe nervorum.*

9-a. *Eaedem Causae habent eosdem Effectus.*

Effectus est id, quod ponitur per Causam, seu cujus Ratio continetur in actione, et vi Causae; sicut igitur posita Causa ut Causa ponitur Effectus (*Prop. 7-ma*): ita ex qualitate Causae, ut Causae ad qualitatem Effectus licet concludere; unde si Causae easdem vires exserant, Effectus quoque iidem rite supponuntur. Et hoc est *Principium Effectuum analogorum*, cui ut sua stet veritas, Causae stricte tales, et a quibusvis impedimentis expeditae intelligi debent; si enim Causae in sensu vulgari sumantur, si impedimenta adsint, etiam eaedem Causae diversos producent Effectus; *e. g. Vinum ut vinum in omni homine eosdem Effectus produceret, si impedimenta abessent, sed quia usus spissi, alius rari, alius alterius est sanguinis, idem vinum hunc hilarem, alterum tristem, hunc loquacem, alterum taciturnum efficit.*

10-a. *In Effectu nunquam potest plus esse quam sit in Causa; minus tamen aliquando potest esse.*

a). Si plus esset in Effectu, quam sit in Causa, hoc *plus* esset Effectus sine Causa: sed Effectus sine Causa esse nequit (*Prop. 7-ma*); ergo in Effectu plus nunquam potest esse, quam sit in Causa.

b). Causa ut Effectum plene sortiatur, potest nonunquam ita potens esse, ut vim suam tantum ex parte debeat impendere: sed in hoc casu minus erit in Effectu, quam sit in Causa; igitur potest aliquando minus esse in Effectu quam sit in Causa. — Aliud est, si Causa sumatur qua Causa in sensu stricto; sic enim tantus debet esse Effectus, quantam Causa exserit activitatem, secus esset Causa sine Effectu contra *Prop. 7-am; e. g. Mundus qua Effectus Causalitatis Dei, minus continet, quam ipsius Causa hoc sensu, quod Vis infinita Dei per omnem hanc rerum universitatem non tantum exhausta non sit, sed nec minimum attenuata: verum hoc sensu, quod in mundo singulae operationi Divinae suus respondeat adaequatus Effectus, non est minus in mundo quam sit in Deo; secus namque Deus inefficaciter egisset.* — Veritas haec appellatur *Principium harmoniae causalis.*

11-ma. *Effectus aliis Effectibus Causarum intelligentium analogus causam intelligentem arguit.*

Iidem Effectus easdem supponunt Causas (*Prop. 8-va*); igitur similes Effectus similes ar-

gunt Causas, similitudo enim est species identitatis (§. XV.); ergo si Effectus quispiam praesto sit, qui cum Effectibus illis, quos a Causis intelligentibus produci unice observamus, apprime convenit, ab Effectibus vero causarum necessariarum, et mechanicarum penitus abludit, rite inferimus, causam ejus, etsi sensibus ignotam, intelligentem esse debere; *e. g. quia in mundo ordo, concinnitas, fines, consensio observantur, quae nonnisi a causis intelligentibus effici possunt, recte concluditur, causam mundi intelligentem esse.* Veritas haec *Principium causarum intelligentium* nuncupatur.

12-ma. *In serie causarum subordinatarum causa absolute ultima, seu prima dari debet.*

Si enim in serie causarum subordinatarum causa absolute prima quae e nulla alia amplius dependeat, nulliusque Effectus sit, non datur, debet dari series regressiva causarum subordinatarum infinita: sed talis series repugnat;

Nam a) series causarum subordinatarum infinita esset complexus Entium conditionatorum, dependentium, et collectio Causarum relativarum, sine Ente absoluto independente, causaque absolute prima, b) esset totum, quod semper fuisse dicitur, licet nulla ejus pars semper fuerit; c) in tali serie semper adesset aliquid, quod merus Effectus foret, quin aliud supponatur, quod mera causa esset; d) cum quaevis causa subordinata simul Effectus sit, etiam Effectus sine causa admitteretur; denique e) existeret numerus Causarum infinitus: quae cum omnia repugnent, absurdisque consectariis plena sint, regressus cau-

sarum subordinatarum in infinitum est impossibilis. — Igitur in serie causarum subordinatarum causa absolute ultima dari debet. — Veritas haec vocatur *Principium causarum subordinatarum*. *Vid. Feder über Raum und causalität.* §. 40.

13-tia. *Substantia finita habet causam efficientem, et quidem substantiam infinitam.*

a) Substantia finita est in existendo contingens (§. XIV.) proinde existentiae suae Rationem sufficientem habet in actione alterius: sed quod Rationem sufficientem existentiae suae in actione alterius habet, est Effectus, Effectus verò sine Causa efficiente esse nequit; ergo substantia finità Causam efficientem habere debet.

b) Substantia finita sui ipsius Causa efficiens esse non potest (*Prop.* 5-*ta*); extra se proinde habeat Causam efficientem est necesse. Causa haec vel erit alia substantia finita, vel infinita, medium non datur: sed substantia finita alterius Causa efficiens esse non potest; deberet enim istam creare, substantia vero finita creare non potest (§. *XIV. B. Prop.* 7-*ma*); igitur substantia infinita debet esse Causa efficiens substantiae finitae.

14-a. *Substantia infinita Causam efficientem non habet.*

1. Substantiae infinitae duratio est aeterna (§. *XVI. B. b. Prop.* 3-*tia*); sed quod aeternum est, Causam efficientem non habet (*Prop.* 6-*ta*).

2. Si Substantia infinita haberet Causam efficientem, vel ipsa semet produceret, vel ab alia

substantia produceretur: sed neutrum dici potest; non *primum*, quia nihil potest esse Causa efficiens sui ipsius (*Prop.* 5 *ta*); non *alterum*; quia sic ab alia substantia dependeret, et realissima non foret; sed substantia infinita est realissima (§. *XIV. A. Prop.* 3-*tia*); ergo substantia infinita Causam efficientem non habet. In Substantia proinde infinita Ratio sufficiens existentiae a Causa efficiente distingui debet ita, ut Rationem sufficientem existentiae suae habeat etiam substantia infinita, cum nihil sit sine Ratione sufficiente (*Prop.* 1-*ma.*), et quidem juxta praecedentia in se ipsa: sed causam efficientem non habeat; quia illa tantum habent causam efficientem, quae fiunt, et oriuntur (*Prop.* 4-*ta.*), substantia autem infinita non oritur, sed ab aeterno existit.

Solutio Objectionum.

Praeter illa, quae Propositionibus subjunxi, ad facilius expediendas difficultates juvabit adhuc ista notare:

1. Ut universalitas *Principii Rationis sufficientis* perspiciatur, a) *Ratio sufficiens* a *cognitione Rationis sufficientis* caute est distinguenda; saepius enim non cognoscimus Rationem sufficientem, quae tamen re ipsa adest; male igitur sic concluderetur; ego non nosco Rationem sufficientem cujusdam phaenomeni; ergo nulla adest. b) *Ratio sufficiens* a *Ratione digna*, et *legitima* discerni debet; potest enim Ratio sufficiens adesse, quin illa sit digna, et legitima; *e. g. indigne, et illegitime potest quis me odisse, sufficiens tamen Ratio hujus odii potest esse praejudicium, antipathia etc.* c) Non habet omnis Ratio sufficiens Rationatum absolute necessarium; potest enim Ratio sufficiens contingens es-

se, et sic contingens erit etiam Rationatum: proinde etiam stante Principio Rationis sufficientis potest subsistere libertas animae humanae.

2. *Principium causalitatis* ex eadem conscientia sumit suam originem tamquam fonte, ex qua convictio nostra de reali Entium existentia, ut primum enim quidpiam ut existens conscientiae nostrae semet insinuat, non possumus non cogitare illud nobiscum in nexu causali esse; agendo enim in sensus mutationem efficit in anima, adeoque respectu hujus mutationis necessario sumi debet ut Causa, etsi ipsummet sub intuitum immediate non cadat. *Lex* itaque *causalitatis*, vi cujus Entia ita connexa cogitamus, ut unum respectu alterius Causa, et hoc alterum respectu illius Effectus sit, non est solum *Principium regulativum animae*, i. e. non provenit e sola necessitate formali seu logica connectendi repraesentationes rerum, neque a *priori* infertur in Naturam, quin ipsi in existentia rerum quidpiam realis, et objectivi respondeat: hoc enim sumto non tantum origo conceptus causalitatis explicari nequit, et tanto minus multitudo Legum naturae Legi huic supremae causalitatis subordinatarum; sed ex ipsa vita nostra spirituali omnis interna consensio, et harmonia penitus tollitur ita; ut assertio haec Kantii consequenter deducta suam ipsius possibilitatem destruat.

3. Cum Ratio humana Principio causalitatis, derivativisque ex illo Principiis innixa, existentiam *Causae absolute ultimae* a serie causarum subordinatarum diversae necessario postulat, *saltus*, aut *ignaviae* argui minime potest. Non a) *saltus;* non enim neglectis causis intermediis immediate concluditur existentia causae absolutae (quod a quibusdam *cum ingenti scientiarum detrimento* factum esse, merito reprehendit Baco Verulamius *de dign. et aug scient. III. 4.*): sed postquam conceditur existente serie causarum effectuumque *absolu-*

tum assumi debere, ubicunque demum hoc sit, aut undecunque proveniat; demonstratur deinde absolutum illud nullum Ens singulare dictae seriei esse, non per ipsam seriem, ejusque infinitatem constitui posse, atque ita tandem infertur, absolutum illud, si datur series causarum subordinatarum re ipsa existens, Ens extra seriem constitutum debere esse, idque pari robore, ac evidentia, ac si posita hac disjunctione: angulus A. vel est minor, vel major, vel aequalis angulo B. demonstrarem nec esse minorem, nec majorem, ac tandem concluderem; ergo A. angulus est aequalis angulo B. *Cf. Zallinger disqu. Phil. Kant. pag.* 310—318. b) Non potest Ratio accusari *ignaviae*; enimvero non negamus nos, multa in Naturae cognitione, quemcunque fecerimus in ea progressum, discenda superesse, semperque fore; nec dubitamus, quin ultra eum gradum, quem hucusque attigimus, progressura sit solers posteritas, si prioritatibus, et vanis formalitatibus a recta philosophandi ratione averti se non siverit; unde illos quoque damnamus, qui non inquirendo in Causas proximas, et naturales phaenomenorum, ad immediatam causalitatem Dei confugiunt, seu (ut Baco Ver. notat.) *Deum ex machina advocant*, et sinceros Naturae indagatores ut Atheos, irreligiososque traducunt. — Verum aliam esse rationem Physicae, aliam Metaphysicae jam in praeliminaribus monuimus; hujus principia universalia sunt, absoluteque necessaria, objecta sua completis notionibus definiunt, et divisionibus adaequatis ita exhauriunt, ut ratio tuto acquiescere possit, tamquam absoluto negotio, quod prae manibus habet. — Quapropter non concipimus majorem ignaviam, quam si ratio seriem quantamcunque causarum subordinatarum percurrens, et harum omnium insufficientiam perspiciens, adhuc in serie hac quiescat, et ad causam absolute ultimam assurgere renuat. Haec hic generatim dixisse sufficiat, pluribus respondebimus in *Cos-*

mologia et *Theologia*. Interea *Cf. Feder über Raum und Causalität* §. 39. *Zallinger disqu. Phil. K. p.* 322—330.

Corollarium.

Ex iis, quae de Causis, et Effectibus dicta sunt, intelliguntur haec *axiomata:* a) Causa necessaria, agit, quantum potest; et eodem modo expedita eosdem producit Effectus. b) Causa necessaria producit Effectus temporibus proportionales. c) Effectus a Causis inaequalibus producti eodem tempore proportionales sunt Causis. d) Media debent esse proportionata Fini. e) Qui vult Finem, etiam Media velle debet. f) Similium rerum similes Fines supponendi. g) Si Finis Causae intelligentis aliunde non constet, id, quod ejus perfectionibus, facultatibus, et dispositionibus satis notis maxime consentit, dici debet ejusdem Finis.

CONSPECTUS OPERIS.

Introductio in Metaphysicam.

)(

Archologia.

Ontologia.